LOTHARINGIA MASCVLINA,

ADVERSVS

ANONYMVM PARISIENSEM:

AVCTORE

IOANNE IACOBO CHIFLETIO, Equite,
& Regio Archiatrorum Comite.

ANNO M. DC. XLVIII.

NICOLAVS DE CLEMANGIIS,
Archidiaconus Baiocensis, epistolâ XC. scripta anno Domini M. CD. XVII.

DICET *quis, contemnendum esse, quantum ad bella pertinet,* DVCEM LOTHARINGIÆ; *nec tantis pollere viribus, vt* DOMVI *audeat* FRANCIÆ *bellum inferre. Non debet paruus hostis videri, quem* DEVS *excitat, & propter aliorum* ADIVVAT *facinora.*

LOTHARINGIA MASCVLINA.

CAPVT I.

Lotharingiæ Superioris Ducatus ex lege Imperij ad feminas non deuoluitur.



DVCATVS Lotharingiæ masculinitas tribus fulcitur fundamentis; SALICA LEGE, STATVTO IMPERII, ET IVRE FAMILIARI. De lege Salicâ fusè disseruimus in Vindicijs Hispanicis: Cap. 5. superest vt agamus de alijs duobus; & primùm quidem de Imperij edicto.

Sanctè & salubriter in Imperio constitutum, vt maiora Feuda, ex primâ origine & naturâ suâ, militaria essent & masculina. Ratio conditæ legis hæc fuit; quòd Sacrum Imperium latè protenderetur, suæque maiestatis atque gloriæ plures haberet æmulos; vnde Cæsaribus æquum visum est, regendas tuendasque Prouincias committere Principibus viris, qui animi magnitudine & constantiâ, iudicij & consilij acrimoniâ, bellique gerendi peritiâ ac solertiâ præditi, hostium conatus aduersos vi armatâ propellerent. Quod quidem munus cùm feminæ per se obire non possint, à Feudorum militarium possessione regulariter sunt exclusæ.

Sancitæ in Imperio legis antiquitatem colligo ex Witikindo Saxone, qui de Othone I. Imp. sic loquitur: *De legum quoque varietate facta est contentio: fuerêque qui dicerent, quia filij filiorum non deberent computari inter liberos, hereditatemque legitimè cum filijs sortiri, si fortè patres eorum obijssent auis superstitibus. Vnde exijt edictum à Rege, vt vniuersalis populi conuentio fieret apud villam, quæ dicitur Stela. Factum est, vt causa inter arbitros iudicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio vsus, noluit nobiles viros ac senes populi inhonestè tractari; sed magis rem inter gladiatores discerni iussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios; & firmatum est, vt æqualiter cum patruis hereditatem diuiderent pacto sempiterno.* Eadem, sed Lib. 2.

 breuiùs,

Ad an. 942. breuiùs, ſic refert Sigebertus: *Ortâ diſſenſione inter Principes de varietate legis, vtrùm deberent auis ſuperſtitibus filij filiorum poſt patres defunctos hereditare, an exheredatis fratruelibus deberet hereditas ad patruos redire; ex Regis* OTHONIS, *omniumque Principum ſententiâ, cognitio veritatis commiſſa eſt gladiatorio iudicio: ceſſitque victoria his, qui cenſebant fratrum filios debere cum patribus hereditare.*

In illâ autem quæſtione tempore Othonis primi Imp. agitatâ feminarum nulla mentio; quippe quæ ab omni patrum Feudali hereditate arcerentur; quemadmodum ſexcenta vltra Rhenum exempla docent. Citra Rhenum pauca hæc obſeruaui.

Bruuingus in Hiſtor. MS. Luxemb. Primum eſt ERMENSINDÆ, HENRICI CÆCI Comitis Namurcenſis & Luxemburgenſis filiæ, quæ poſt patris exceſſum anno M. C. XCIII. ab HENRICO VI. Imp. priuata eſt vtroque Comitatu: contulit enim Namurcum Cæſar BALDVINO Hannoniæ Principi; Luxemburgum verò OTHONI Burgundiæ Comiti, à quo Ermenſinda illud redemit, & in Henricum, ex Valeramo Limburgenſi marito filium, tranſmiſit.

Gerbrandus. Snoius. Alterum eſt ADÆ, THEODORICI VII. Hollandiæ Comitis filiæ, quâ excluſâ, WILLELMVS, Theodorici frater, in Hollandiæ Principatu ſucceſſit anno M.CC.III.

Tertium exemplum, de Lotharingiæ Inferioris Ducatu, ſic expreſſit Dinterus: *Mortuo* OTHONE *Duce ſine liberis, qui patri ſuo* [Carolo] *ſucceſſerat in Ducatu Lotharingiæ,* QVIA MARES HEREDES NON HABVIT, *Ducatus eius per* HENRICVM *huius nominis Imperatorem II. & Regem Romanorum, datur Godefrido Comiti Virdunenſi, filio Godefridi Comitis Ardennenſis, anno* M. VI. Aſſentitur Auctor

Lib. 4. in Proleg.

Pag. 90. Magni Chronici Belgici hiſce verbis: *Mortuo Othone ſine herede,* GERBERGA *ſoror eius,* QVIA FEMINA FVIT, *Ducatum Lotharingiæ amiſit.* Item Alphonſus Delbene de Othonis ſororibus, Gerbergâ & Ermengarde: *Hæ hereditatis iure Lotharingiam ad ſe pertinere prædicabant, & in poſſeſſionem eius ingredi conatæ ſunt: ſed Godefridus Barbatus, filius Godefridi Arduanorum, Bullonij & Virdunenſium Comitis, eas prohibuit, & vi & armis Lotharingiam occupauit anno ſexto ſupra milleſimum. Dicebat enim ſe ab* HENRICO *Imp. Ducem fuiſſe conſtitutum;* FEVDVM LOTHARINGIÆ *ad maſculos, non ad feminas pertinere.* Meyerus denique de iiſdem ſororibus: *His ſpretis feminis,* HENRICVS *Cæſar (is qui in cælum dicitur relatus) cùm in eam Prouinciam ſummum haberet iudicium,* GODEFRIDO, *Ducis Arduennæ Godefridi filio, Lotharingiam dedit; aſſignato Gerbergæ, Lamberto nuptæ, Louanienſium tantummodò Comitatu.*

De Regno Burgund. pag. 177.

Lib. 2. Annal.

Quartum

Quartum exemplum de Lotharingiæ Superioris Ducatu (de quo iam quæſtio eſt) opportunè ſubminiſtrat Sigebertus ad annum M. XXXIV: FRIDERICO *Moſellanorum Duce mortuo*, QVIA MARES FILIOS NON HABEBAT, QVIBVS DVCATVS COMPETERET, *Gothelo Dux, impetrato etiam ab* IMPERATORE *Moſellanorum Ducatu, in Lotharingiâ potentiùs principatur.* Albericus, Dinterus, Ægidius de Roya, & alij non pauci, eadem Sigeberti verba integrè retulerunt: ſolus Theodorus Gothofredus in Genealogijs Lotharingiæ & Portugalliæ, quas prælo ſubiecit anno M. DC. XXIV. verba Sigeberti, quæ maiuſculo expreſſimus charactere, ſcienter prætermiſit; eodemque modo mutilauit Magnum Chronicum Belgicum, in quo hæc leguntur: *Frederico Moſellanorum Duce mortuo*, QVIA MARES FILIOS NON HABVIT, QVIBVS DVCATVS COMPETERET, *Gothelo Dux Lotharingiæ Inferioris, impetrato ab Imperatore* CONRADO *Moſellanorum etiam Ducatu, in Regno Lotharingiæ potentiùs principatur.* Omiſit ſtudioſè Gothofredus verba eadem, quæ in Sigeberto prætermiſerat, quæ Ducatum Lotharingiæ Superioris, ſiue Moſellanorum, ſolis maribus competere palàm inſinuant. In Chron. Pag. 101.

Quintum exemplum, extra Lotharingiam, in Regno Burgundiæ, præbet Sabaudiæ Comitatus; de quo ſic Renatus Choppinus: *Allobrogum Comitatui filias minimè dominari, maſculo è Sebuſianis Regulis extante, decreuerunt litis diſceptatores ex lege Salicâ* (alij dicunt ex Voconiâ) *ſecundùm Petrum Allobrogem aduerſus Conſtantiam, neptem ex fratre maiori natu, vxorem Comitis Cabilonenſis, anno* M. CC. LVI. Addit deinde Choppinus: *Sabaudia planè* VIRILE *eſt* SACRI IMPERII BENEFICIVM, *Beraldo Saxoni in primis conceſſum ab Othone I. Germaniæ Cæſare patruo.* A Sigiſmundo poſtmodum Imperatore Comitatus Sabaudiæ Ducatus titulo & prærogatiuâ auctus eſt Conſtantiæ, anno M. CD. XV. Lib. 3. de Dom. tit. 6. num. 6.

Planum eſt igitur quod ait Albericus, *non ſolere feminas in Imperio hereditare:* quod equidem ſtatutum Imperialibus reſcriptis vim habere in Feuda per Imperium, quæ beneficiario iure à Principibus obtinentur, norunt Iuriſconſulti. Id tamen de iure communi eſt intelligendum: poſſunt enim feminæ ex Imperatoris gratiâ & priuilegio Feudorum poſſeſſionem nanciſci. Ita Fridericus I. Imperator diplomate dato Ratiſponæ anno M. C. LVI. HENRICO Auſtriæ primo Duci indulſit, *vt eius* FILII & FILIÆ *indifferenter poſſent Ducatum Auſtriæ hereditario iure à Regno tenere & poſſidere.* Ad an. 1113. Chronica Auguſt. Cuſpinianus in Auſtriâ.

Adolphus item Cæſar anno M. CC. XCV. *Rainaldo Comiti Geldriæ conceſſit, caſu quo ſine prole maſculâ ab hac luce migraret, vt filiarum eius* Ex Archiuo Namurc.

eius maior natu ei succederet in Comitatu, & in alijs Feudis ab Imperio dependentibus.

Dinterus & Butkens passim. Philippus denique, Albertus, Henricus VII. & Carolus IV. Imperatores Ducibus Lotharingiæ Inferioris & Brabantiæ indulserunt, *vt si masculum heredem non haberent, eorum* FILIAE *in Feudis liberè & tamquam masculi succederent.* Et idcircò dum Constantiæ anno M. CD. XIV. SIGISMVNDVS Imp. obijci fecisset GOSWINO, Priori Carthusiensium de Soelhem, ANTONII Brabantiæ Ducis Legato, *quòd Imperio ius esset acquisitum in Ducatu Brabantiæ, & quòd feminæ non possent in eo succedere:* cordatè respondit benè informatus Prior, *quòd Duces Brabantiæ de successione filiarum sunt ab antiquo priuilegiati à Diuis Imperatoribus & Regibus Romanorum.*

Dinterus lib.6.cap. 116.

Quotiescumque ergo legitur, Feudum aliquod Imperiale à feminâ possessum, illicò intelligendum est id factum ex speciali Cæsaris gratiâ, & præter ius commune Imperij.

Atqui Lotharingiæ Superioris Duces priuilegium eiusmodi neque obtinuerunt, neque obtenderunt vmquam, legi suæ Salicæ antiquissimæ, & iuri ordinario Imperij, quo à Feudis militaribus feminæ regulariter excluduntur, semper obstricti.

CAPVT II.

Prius Anonymi argumentum ab Idâ desumptum, contra Lotharingiæ masculinitatem, dissoluitur.

PRODIIT anno M. DC. XL. scriptum Anonymi cuiusdam Parisiensis, qui vt probaret Lotharingiæ Superioris Ducatum ad feminas deuolui, exemplis ferè causam suam egit, sed præter historicam fidem prolatis: ita vt mihi commenta veriùs quàm argumenta refellenda sint. At cuius ea generis? Primum est IDAE, Eustachij II. Comitis Bononiensis vxoris; *quæ* (inquit) *fratri suo Godefrido Gibboso Duci Lotharingiæ absque liberis defuncto sine contradictione aut oppositione successit.* Quod absolutè falsum est: interfecto enim à sicarijs Godefrido Gibbere, Henricus IV. Imp. de Feudis eius primarijs sic disposuit, teste Lamberto Schafnaburgensi: *Rex Pascha Traiecti celebrauit; ibique Ducatum Lotharingiæ filio suo* CONRADO; *Marchiam verò, quæ dicitur Antwerpa,* GODEFRIDO (Bullionio, Idæ filio) *Eustachij Comitis filio, impigro, & ad rem militarem acerrimo adolescenti tradidit.* Eadem quoque habet Sigebertus in MS. Ortiliano. Ex quibus perspicuum est, Idam in Ducatu Lotharingiæ Inferioris Godefrido

Ad an. 1076.

Gibboso

Gibboſo fratri haud ſucceſſiſſe; & conſequenter Godefridum Bullonium, Idæ filium, à matre Ducatum illum non accepiſſe; ſed ab Henrico IV. Imp. anno dumtaxat M. LXXXIX. teſtibus Sigeberto & Alberico hiſce verbis: GODEFRIDO, GODEFRIDI GIBBOSI *ex ſorore nepoti, tandem* DATVR *Ducatus Lotharingiæ.* Ad an. 1089.

Verum quidem eſt, Godefridum Bullonium, Idæ filium, à Godefrido Gibbo, Idæ fratre, heredem fuiſſe ſcriptum; quippe qui chartam anni M. XCIV. ſic exorditur: *Ego* GODEFRIDVS, *legitimus ſucceſſor &* HERES *Ducis Godefridi Barbati, filijque eius potentiſſimi & iuſtiſſimi Ducis Godefridi, auunculi mei,* &c. Sed hereditas illa non alia fuit quàm allodiorum, quæ tam in Superiori quàm Inferiori Lotharingiâ maiores eius poſſederant; puta Bullionij, Baſeij, Genapiæ, Sathanaci, & Moſaci; non autem Feudorum, quæ Imperio erant obnoxia: vnde Albericus clarè ad annum M. LXXVI: *Godefridus iuuenis, frater Balduini & Euſtacij, per matrem ſuam Idam factus eſt heres Bullonij*; quia nempe Ida eius mater ſoror erat Godefridi Gibberis, Bullionij Dynaſtæ. Perſpicuè in hunc locum vetus Genealogia de Idæ filijs: *Hi dicti fuerunt de Bullion, quia adepti ſunt Principatum de Bullion poſt mortem auunculi ſui Godefridi Gibboſi.* Et quidem Bullonium fuiſſe allodium, non Feudum, clarè docet Chronicum MS. Monaſterij S. Huberti in Arduennâ: *Dux Lotharingiæ* GOZELO *caſtrum Bullonij in proprium tenebat allodium, & Comitatum Virdunenſem.* De Sathanaco & Moſaco hæc reperi monumenta in Chartulario Gorzienſi.

Miræus Don. piar. c. 67.

In Chron.

Ex MS. Niuellenſi.

Charta Godefridi Ducis Magni, ſeu Barbati.

✠ IN NOMINE *ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.* GODEFRIDVS *Dei gratiâ Dux & Marchio,* &c. *Inſtinctu & ſupplicatione venerandæ collateralis noſtræ* BEATRICIS *multoties ſollicitatus, conſiderans quòd Eccleſiam S. Dagoberti apud* SATHANACVM, VILLAM IVRIS NOSTRI, *& pretioſis ipſius S. Martyris oſſibus & multis alijs Sanctorum pignoribus illuſtratam; ſed à Canonicis inibi ſub carnali vitâ degentibus, & ſua potiùs quàm diuina quærentibus, vſquequaque neglectam; virum boni teſtimonij, & ſanctæ conuerſationis,* HENRICVM *Gorzienſem Abbatem, & Monachos eius, cum conſilio Domini* EVRARDI, *ſanctæ Treuirorum Sedis Archiepiſcopi, in cuius Dioceſi locus ipſe ſitus erat, ceterorumque fidelium Dei, ac noſtrorum, conuocauimus; & illis remotis, iſtos in eorum locum ſubſtituimus,* &c. ✠ GODEFRIDI *Ducis. Signum* BEATRICIS *coniugis ſuæ: Signum* GODEFRIDI *filij* Pag. 184.

filij sui consentientis. Signum Hezelini Comitis. Signum Fulconis Comitis. Signum Herbranni Castellani, &c. *Actum Bullioni anno Dominicæ Incarnationis* M. LXIX. *indict.* VII. *regnante* HENRICO, *filio gloriosi Imperatoris Henrici, anno Regni eius* XIII.

Charta Godefridi Ducis, cognomento Bullionij, Godefridi Magni ex Idâ filiâ nepotis.

Pag.186. ✠ IN NOMINE *sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti.* GODEFRIDVS *Diuinâ propitiante gratiâ Dux & Marchio*, &c. *Notum esse volumus Sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ filijs fidelibus, tam futuris quàm præsentibus; quia dux* GODEFRIDVS *auus meus, cum* BEATRICE *vxore suâ, apud* SATHANACVM, IVRIS SVI VILLAM, *in Ecclesiâ S. Martyris Dagoberti pro suarum animarum remedio Monachos de Monasterio S. Gorgonij constituerunt; eisque inter alia, pro supplemento victus & vestitus, Ecclesiam villæ* MOSACI, *quæ sine contradictione* SVAE PROPRIETATIS *erat, legaliter condonauerunt: quam etiam ipsi Monachi totâ vitâ ipsius* AVI MEI, *& filij sui* AVVNCVLI MEI, *quietè & pacificè possederunt*, &c. ✠ GODEFRIDI *Dei gratiâ Ducis & Marchionis. Acta Bullioni anno Domin. Incarnat.* M. XCIII. *indict.* V. *anno Regni* HENRICI *quarti* XXXVII. *Imperij* X. *pontificante Domino* FILBERTO *Treuirorum Archiepiscopo, anno sui Pontificatus* X.

Quin & ipsâ etiam IDA, quam adducit Anonymus; in Af-
Ex chart. Affligem. fligemiensi membranâ sic loquitur: EGO IDA BOLONIENSIS COMITISSA, *humilis Christi ancilla, cunctis in fide manentibus gaudia promereri promissa fidelibus. Notum facio tam præsentibus quàm futuris signum meæ dilectionis erga Dominos meos & Fratres, videlicet Monachos noui Monasterij, cui vocabulum* AFFLINGEN *inditum erat ab antiquis*, &c. *Igitur in* ALLODIO MEO *& villâ, quæ vocatur* GENAPIA, *pro salute animæ meæ, patris quoque mei Ducis* GODEFRIDI, *& Comitis* EVSTATHII *Domini mei, Ecclesiam cum decimis, & vniuersis eius redditibus, firmiter perpetuoque iure tenendam dedi supradictis Fratribus; in idipsum filijs meis*, GODEFRIDO, EVSTATHIO *&* BALDVINO, *cooperantibus. Filius quoque meus Dux* GODEFRIDVS *in eâdem villâ Genapiâ quinque mansos terræ donauit iisdem Fratribus*, &c. *Factum est autem hoc Incarnationis Dominicæ anno* M. XCVI. *indict.* IV.

Vides igitur, Anonyme, IDAM, & Godefridum Bullionium eius filium, allodiorum ex hereditate possessores, non Feudorum.

Vides

Vides *Idam* iam inde ab obitu patris & fratris dici dumtaxat *Boloniæ Comitissam*, non *Lotharingiæ Ducissam*: cuius Idæ frater Godefridus Gibbosus & filius Bullionius non fuerunt Duces Lotharingiæ Superioris (quam obtinuit Theodoricus Dux, cognomento Strenuus, ab anno M. LXX. vsque ad M. C. XV.) sed Inferioris; neque hereditatis iure, verùm Imperatoris beneficio; ille anno M.LXX. iste anno M. LXXXIX. vnde sequitur, argumentum ab Idâ desumptum, pro feminarum iure ad Lotharingiam Superiorem, futile omnino & absurdum esse; adeoque consuetudinem, ab exemplo Idæ, à te inaniter iactatam.

Testimonium denique Nobilium, quod adducis, coram Theobaldo Duce exhibitum anno M.CCCVI. vel dicis causâ confictum fuit; vel illi testes Historiarum haud erant gnari: quandoquidem ex antiquioribus & indubitatis monumentis constat, Beatricem & Sophiam, Friderici II. Mosellanorum Ducis filias, post mortem patris à Ducatu fuisse exclusas anno M. XXXIV. Neque vlla femina ante Isabellam (de quâ mox agemus) in Superiorem Lotharingiam ius vllum palàm obtendit.

CAPVT III.

Respondetur alteri Anonymi argumento, de Isabellâ Caroli primi Ducis filiâ.

SOLVTO & eneruato priore Anonymi argumento, transimus ad alterum. Affirmat ille, ISABELLAM, Caroli I. Ducis filiam, Renati Ducis Andegauensis coniugem, post patris obitum fuisse optimo iure Lotharingiæ Ducissam: cuius quæstionis nodus vt faciliùs extricetur, expedit subiectam hîc tabellam sedulò inspicere & examinare.

1. IOANNES Dux Lotharingiæ.

2. CAROLVS I. Dux Lotharingiæ.

2. FRIDERICVS Comes Guisiæ & Vaudanimontis.

3. ISABELLA vxor Renati Andeg. Ducis Lotharingiæ intrusi.

3. ANTONIVS I. Comes Vaudanimontis, Dux Lotharingiæ legitimus.

4. IOANNES Dux Calabriæ.

4. IOLANDA vxor Friderici VI. Ducis Lotharingiæ.

4. FRIDERICVS VI. Dux Lotharingię: vxor Iolanda Andegauensis.

5. NICOLAVS Dux Calabriæ, ἄπαις.

5. RENATVS Dux Lothar. & Barri.

6. ANTONIVS II. Dux Lothar. & Barri: à quo ceteri Duces & Principes natu maiores.

6. CLAVDIVS Dux Guisiæ: à quo Principes natu minores.

In Stemmate Ducum Lothar. Dubitat Antonius Albizius, num Fridericus, Comes Guisiæ & Vaudanimontis, frater Caroli I. Ducis, proles masculas habuerit: *Quia si habuisset*, inquit, *ad Renatum Andegauensem per vxorem Lotharingia iure hereditario non peruenisset.* Reuerà tamen Fridericus filium habuit Antonium, qui pro iure suo in Lotharingiam contra Renatum Andegauensem acriter decertauit. Dum enim iste defuncto socero Ducatus possessionem adire vellet; (In Histor. Prouinciæ.) *Antonius acerbè illum prohibuit, affirmans ditionem Lotharingicam non posse in colum traduci.* Hæc Cæsar Nostradamus: quibus haud absimilia refert Richardus (L. 7. fol. 482. a.) Wassebvrgius iure Imperij adducto: *Exinde*, inquit, ANTONIVS *Vaudemontanus, filius* FRIDERICI LOTHARINGI, *fratris defuncti* CAROLI, *decreuit iure successionis contendere ad obtinendum Ducatum Lotharingiæ, affirmans* ISABELLAM *Renati vxorem non posse patri succedere in Ducatu, de quo feminæ non poterant hereditare superstite masculo legitimo, qualis ipse erat, Caroli defuncti ex fratre nepos, qui præferebat* NOMEN *&* ARMA *Lotharingiæ; & proinde filiam à se debere excludi iuxta* IMPERII IVRA *& consuetudines Ducatuum Principatuumque.* (Tomo 2. l. 22.) In eumdem sensum Girardus Hallianus tradit, ANTONIVM *Lotharingum, Comitem Waudanimontis, tunc obiecisse, Ducatum Lotharingiæ sibi competere, vtpote* FEVDVM IMPERII, *quod in colum non delabitur;* ISABELLAM *Renato iunctam ab se debere excludi.*

Illud verò dissidium eò vsque processit, vt ad arma ventum fuerit. Antonius enim anno M. CD. XXXI. ad bellum se comparauit,

suasque

ſuaſque copias iunxit Philippo Bono Burgundiæ Duci aduerſus Renatum hereditatis ſuæ vſurpatorem. Certatum eſt vtrimque acriter ſecundâ die Iunij ad Bulnevillam, vbi Renatus victus, captuſque Diuionem deductus eſt. *Mira res, & apud poſteros caritura fide* (inquit de pugnâ illâ Pius PP. II.) *quinque hominum millia octo & triginta millia fuderunt: tantùm in bello Dei poteſtas conſpicitur.* Lib. 9. Comm.

Franciſcus Haræus affirmat Antonium illo prælio victorem recuperaſſe Ducatum Lotharingiæ, quem Renatus inuaſerat: *Armis*, ait, *& ope Burgundi, eum Ducatum obtinuit, contra Renatum generum Caroli.* Et certè Comes Antonius exinde ſcutum Lothariense putum prætulit, abſque fracturâ ſiue diſtinctione, tamquam legitimus Lotharingiæ Dux & Dominus. Contrà, Renatus tunc bello victus, non Dux Lotharingiæ, ſed *Dux Barrenſis* dumtaxat nuncupatus eſt à Biturige, Caroli VII. Franciæ Regis Feciali. Necnon Turris ipſa, in quâ Diuione captiuus detinebatur, ab eo tempore ſemper dicta eſt *Turris Barrenſis*: & Sacellum, quod in vrbe illâ dotauit in honorem S. Andreæ Apoſtoli, non aliter audit quàm *Capellæ Barrenſis* nomine. Quæ maximè conuincunt Renatum ſtirpe Francum, ab ipſis Francis pro Duce Lotharingiæ legitimo non fuiſſe agnitum. Ad an. 1431. In Hiſt. Car. VII. Regis.

Enguerrannus Monſtreletus de pugnâ ad Bulnevillam commiſſâ rem adfert memoriâ in primis dignam: *Comes Vaudemontanus*, inquit, *pumilioni inſidens equo mediam aciem perequitabat, adſtantes amicè commonefaciens, vt confidenter & animosè depugnarent; affirmans ſub ſuæ damnationis periculo, actionem ſuam iuſtam eſſe; Ducem Barri velle ipſum iniuſtè exheredit are.* Quæ profectò verba eius firmando iuri erant peropportuna. Anno 1431.

Obijcit Anonymus, terminatam fuiſſe litem latâ ſententiâ in fauorem Renati aduerſus Antonium: ſed Auctores, quos adducit, de cauſæ Iudicibus non conueniunt; dicunt enim nonnulli fuiſſe Concilij Baſileenſis Patres; alij Sigiſmundum Imperatorem, qui Concilio illi vnà cum Principibus Imperij intererat.

Quod attinet ad Concilij Patres, ſupponit Belleforeſtius, illos de Lotharienſi lite dijudicaſſe in Renati fauorem, *ſed ad cauſæ cognitionem haud plenè inſtructos fuiſſe, ad id ſolummodò attendentes, quòd filia patri proximior eſſet quàm frater aut nepos patris; atque ita Renati vxorem, Caroli Ducis filiam, iure potiori debere patri ſuccedere, quàm Caroli fratrem aut nepotem: haud etiam perpendentes, Ducatum Lotharingiæ* SALICVM *eſſe, & ad Vaudemontanum Principem attinere.* Tomo 2. lib. 5. c. 95.

Verùm Patres Concilij iudicium tuliſſe in fauorem Renati, nullo modo quadrat cum ijs quæ narrantur à Waſſeburgio; ſcilicet, *Rectores* Lib. 3. fol. 489. b.

ctores ciuitatis Virdunensis ab eo Concilio Sacrorum interdictione mulctatos anno M. CD. XXXVIII. *prouocasse ad Eugenium Papam, vel ad Ferrariense Concilium*; *adducentes* (inter alia) *declarationem fuisse factam à* RENATO *Siciliæ Rege, quòd ipse nollet obtemperare Basileensi Concilio, sed Ferrariensi*; claro indicio, Basileensem Synodum de Lothariensi causâ in Renati fauorem nihil decreuisse. Et verò si quidpiam gratiosè sanxisset, id omne pro irrito fuisset habitum edicto ipsius Sigismundi Cæsaris aduersus Patres publicato Vlmæ in Comitijs anni M. CD. XXXIV. die XXVIII. mensis Iulij, *de incompetentiâ Concilij Basileensis in iudicandis causis Principum Imperij ad Sacram Cameram pertinentibus*. Sed reuerà Synodus Basileensis de lite Lotharingicâ nihil decreuit; in cuius Actis diurnis (quæ manu scripta extant quatuor Voluminibus) nulla Lotharingiæ mentio.

Tomo 3. Constit. Imper.

Iam quod attinet ad Sigismundum Cæsarem, delirat Ioannes Bodinus, dum Archidiaconum Virdunensem (qui est Richardus Wasseburgius) scribentem adducit; *in Concilio Constantiensi Fridericum Comitem Waudanimontis sustinuisse, Lotharingiam esse Feudum Imperiale solis masculis debitum, illumque Sigismundi Imp. fauore vicisse in causâ contra Renatum Andegauensem*. Delirat inquam Bodinus, & imponit Wasseburgio; quia Concilium Constantiense inchoatum est anno M. CD. XIV. finitum anno M. CD. XVIII. quo tempore superstes erat Carolus I. Dux Lotharingiæ ad annum vsque M. CD. XXX. à cuius obitu dumtaxat cœpit lis de successione Ducatus inter Renatum eius generum, & Antonium Vaudemontanum (non Fridericum) eius ex fratre nepotem. Narrat autem Wasseburgius, *iudicium litis inter* ANTONIVM *&* RENATVM *fuisse delatum ad Imperatorem Basileæ existentem*; *quia diffidentes habebant rationem, quòd Cæsares Ducatum Lotharingiæ censerent inter partes & membra Imperij; essentque in possessione, vt Duces Imperium recognoscerent pro vijs maximè publicis, prolibus adulterinis, & eiusdem Ducatus Regalibus: id quod ab obitu Caroli I. Ducis nondum fuerat factum*. Nonnullis deinde interiectis pergit; *à Sigismundo Imperatore inuestitum fuisse Renatum de Regalibus Ducatus Lotharingiæ causâ Isabellæ vxoris suæ*; idque probat litteris Guillelmi Chaney, Canonici Virdunensis, datis Basileæ XXVII. Aprilis anni M. CD. XXXIV. ad Virdunense Capitulum istis ipsissimet verbis: *Dominus noster metuentissimus, Dominus Dux Barrensis, fuit honorificè per Dominum Imperatorem in Regalibus Ducatus Lotharingiæ, non obstante Domino Comite Vaudanimontis, receptus.* Canonici Virdunensis scriptioni consentit testis maior, Pius II. Papa, vbi

Lib. 1. Reipub. c. 9.

Lib. 7. folio 482. b.

Folio 483. a.

Lib. 9. Comm.

vbi de Lotharingiâ: *Huic, nostrâ ætate*, inquit, RENATVS *præfuit, Dux Gentis ab Imperio constitutus.*

Verùm enim verò Renatum de Lotharingiæ Ducatu non fuisse plenè inuestitum, sed absque dubio cum restringente clausulâ, *saluo iure tertij* (cuius frequens vsus in diplomatis, quibus gratia conceditur, in cuius executione ex leui controuersiâ moræ intercessio oriri potest) conuincunt quæ sequuntur rationes.

In primis, quia Ducatus Lotharingiæ, cùm esset Imperialis, ad feminam plenè transmitti non poterat nisi ex priuilegio, quod tunc locum non habebat, cùm agebatur de iure tertij, qui natalium & Imperij iure nixus, lite contendebat aduersus mulierem. Ad priorem enim & antiquiorem inuestituram semper est recurrendum; *quæ* (inquit Baldus) *est vetus basis & fundamentum, adeoque radix ceterarum.* Atqui prima Friderici I. Ducis inuestitura feminas excludebat. Constat enim, Friderico II. Duce, primi nepote ex Filio Theoderico, sine liberis masculis defuncto, Conradum II. Imp. Gotheloni Magno Ducatum contulisse.

Ex inuestiturâ igitur, cum interpositâ conditione, Renati possessio non potuit esse valida; qui propterea durante dissidio Cæsareum diploma numquam in publicum emisit, nec vllibi terrarum posteà visum aut editum est; nec fortè scripto vmquam consignatum, & sigillo munitum.

Præterea Renatum non fuisse plenè inuestitum, euidens est ex eo, quòd ante publicationem Pacis Atrebatensis anno M. CD. XXXV. solemni ritu & pompâ fuit pronuntiatum, *Renatum Ducem Andegauensem & Barrensem* (non Lotharingiæ Ducem) *nullatenus in tractatu Pacis debere comprehendi, sed vt priùs manere in vinculis, & in potestate Philippi Burgundiæ Ducis.* Ecce auctoritatem in Atrebatensi templo S. Vedasti propalatam.

IN NOMINE *Domini, Amen. Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat euidenter, & sit notum, quòd anno à natiuitate eiusdem* M. CCCC. XXXV. *indictione* XIV. *die verò Mercurij* XXI. *mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini* EVGENII *diuinâ prouidentiâ Papæ quarti anno quinto, sacro Basileensi Concilio vigente, Illustrissimis ac Illustribus Principibus ac Dominis, Dominis* PHILIPPO *Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Duce ex vnâ; nec non* KAROLO *Duce Borbonij,* ARTVRO *Richemondiæ, Constabulario Franciæ, L. VVyndomiensi, Comitibus; ac Reuerendo Patre, Patre Domino Reginaldo Remensi Archiepiscopo, Cancellario Franciæ, Nuntijs & Ambassiatoribus Serenissimi ac Christianissimi Principis, Domini* KAROLI *Francorum Re-* Ex Actis mss. Conc. Basil.

gis; in choro Ecclesiæ seu Monasterij Sancti Vedasti Atrebatensis, Ordinis S. Benedicti, pro Missâ de Sancto Spiritu audiendâ, deinde tractatu Pacis inter præfatum Dominum Karolum Regem, & eumdem Dominum Ducem Burgundiæ, inito publicando, & iuramentis ad hoc per partes hinc inde præstandis, videlicet iuxta oratorium præfati Domini Ducis Burgundiæ, ad dextrum lâtus chori ipsius Ecclesiæ positum & aptatum, constitutis & congregatis partibus ex alterâ. In nostrûm Notariorum publicorum, & Dominorum testium ad hæc vocatorum & rogatorum præsentiâ; ipse Illustrissimus Princeps Dominus Dux Burgundiæ coram præfatis Dominis, Duce Borbonij, Richemondiæ & Windomiensi, Comitibus, ac Domino Archiepiscopo Remensi, Cancellario Franciæ, Ambassiatoribus præfatis, ibidem, vt præfertur, constitutis, per organum nobilis ac strenui militis, Domini Nic. Raulini, Cancellarij præfati Illustrissimi Domini Ducis Burgundiæ, dixit, & expressè protestatus fuit, quòd non intendit, nec suæ intentionis fuit, aut est, Illustrem Principem Dominum RENATVM, DVCEM ANDEGAVENSEM ET BARRENSEM, *suum nunc prisionarium, nullatenus in dicto tractatu Pacis, vt præfertur, inter præfatum Dominum Regem* KAROLVM, *& eumdem Dominum Ducem Burgundiæ inito, ac de proximo firmando & publicando, debere comprehendi, nec per eumdem Dominum Ducem Burgundiæ de manibus eiusdem Domini Ducis fore liberatum; sed ipsum Dominum* DVCEM ANDEGAVENSEM ET BARRENSEM *in statu quo erat ante dictum tractatum debere remanere. Quâ quidem protestatione, sic vt præfertur, per Illustrißimum Principem Dominum Ducem Burgundiæ per organum eius suprà factâ; præfati Domini, Dux Borbonij, & Comites Richemondiæ & Windomiensis, ac Dominus Archiepiscopus Remensis, Cancellarius Franciæ, Ambaßiatores, & alij Domini eorum collegæ in hac parte, imbi præsentes nomine Ambaßiatorio quo suprà, per organum eorumdem Dominorum Ducis Borbonij & Archiepiscopi responderunt, & quilibet eorum respondit; quòd eo modo quo præfatus Illustrißimus Princeps Dominus Dux Burgundiæ, factum concernens dictum Dominum* DVCEM ANDEGAVENSEM ET BARRENSEM; *intelligebat, etiam ipsi Ambaßiatores præfati Domini* KAROLI *Francorum Regis eo modo intelligebant, & eorum quilibet intelligebat, videlicet eumdem Dominum* DVCEM ANDEGAVENSEM *&* BARRENSEM *non debere in huiusmodi tractatu Pacis comprehendi, seu includi, nec de manibus potestateque eiusdem Domini Ducis Burgundiæ liberatum fore. De quibus omnibus & singulis præmißis prælibatus Illustrißimus Princeps Dominus Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Dux nomine suo priuato petijt à nobis Notarijs publicis, sibi & omnibus quorum interest fieri atque tradi vnum & plura, publicum & publica, instrumentum & instrumenta. Acta fuerunt hæc*

Atre-

Atrebati in prædicto Monasterio S. Vedasti sub anno, indictione, die, mense, Pontificatu, & loco, quibus suprà; præsentibus ibidem Venerabilibus ac circumspectis viris, Dominis & Magistris, Ioanne Caprioli, Archidiacono de Venguessin in Ecclesiâ Rothomagensi; Quintino Menardi, Præposito S. Audomari Morinensis Diœcesis; Nobili viro Ioanne de Brimeu, Scutifero, Domino de Humbercourt; & Philippo Mangart, Licentiato in Legibus, Atrebatensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis, & specialiter rogatis.

Aduerte, Lector, in illis solemnibus tabulis anni M. CD. XXXV. Renatum titulo Ducis Andegauensis & Barrensis dumtaxat cohonestari: qui si præcedenti anno M. CD. XXXIV. de Regalibus Ducatus Lotharingiæ legitimè & plenè fuisset inuestitus per Imperatorem; vtique Legati Caroli VII. Regis Franciæ, qui præsentes aderant, non tulissent appellationem *Ducis Lotharingiæ* prætermitti in Francicæ stirpis Principe, cuius soror MARIA ipsius Caroli VII. Regis vxor erat.

Tertiò, inuestitura illa talis qualis à Sigismundo Imp. præter ius & rationem decreta est ex odio quod habebat aduersus Philippum Burgundiæ Ducem, Antonij Vaudemontani fœderatum ac defensorem: quam quidem acerbitatem dissimulare non potuit in publico Basileensi consessu die Sabbati VIII. Maij, anni M. CD. XXXIV. vbi Patribus in templo Prædicatorum congregatis, nuncians abitum suum, *dixit multa de Domino Duce Burgundiæ; & specialiter, quòd nimis altè volebat volare, dando versiculum:* Ex Actis Concilij.

O fili chare noli nimis altè volare.

Equidem pro indubitato illius simultatis testimonio refert Dinterus, sequenti Iunio Sigismundum Vlmæ cum Legatis Regis Franciæ fœdus pepigisse contra Philippum Ducem Burgundiæ, ad quem prouocatorios misit codicillos; & è contrario Philippum ad Principes Imperij circulares dedisse epistolas, quibus de Imperatore conquerebatur, *quòd sibi bellum iniustè nunciaret; quædam de dominijs nostris* (aiebat Dux Philippus) *in inferioribus partibus Allemaniæ Imperio fore deuoluta prætendens, vt aliàs declarauit ipsa dominia mortuæ manus affecta seruituti; & cùm ad ea non succedant feminæ, in masculorum succedentium defectu deuolutionem nouiter sibi locum vendicare.* Ex quibus nullo modo elucet, quomodo stare possit, Sigismundum mense Aprili anni M. CD. XXXIV. Renato, vt Isabellæ marito, dedisse plenam & absolutam Feudi Lotharingici Imperialis, ac proinde masculini inuestituram; eumdemque Cæsarem subsequenti statim mense Iunio obtendisse deuolutionem dominiorum Ducis Burgundiæ, quæ ex Imperij lege transcribi ad feminas non posse contendebat. Lib. 3. c. 243. & seq.

Manebat

Manebat igitur adhuc in vinculis Renatus, non plenè inuestitus, anno M. CD. XXXV. pro causâ Lotharingicâ; & verò etiam sequenti M. CD. XXXVI. quo Dux Burgundiæ Philippus verè Bonus, ad procurandam Lotharienfibus Pacem, proposuit coniugium IOLANDÆ, Renati & Isabellæ filiæ, cum FRIDERICO Antonij filio: qui Dux Philippus deinde, acceptâ Renati fide, conceptisque de futuro sponsalibus, anno M. CD. XXXVII. Renatum idcircò soluit, vt Neapolim proficisci posset, sub conditione tamen, vt vtrumque filium suum datæ fidei obsidem traderet; quod ab æquali Scriptore Georgio Castellano reperi annotatum hisce verbis: LVDOVICVS *Rex Siciliæ*, RENATI *&* CAROLI *Andegauorum frater, ob præclarè gesta parum cognitus in Franciâ, satis potenter regnauit Neapoli iuxta genium regionis: sed non diu durauit eius Regnum, ætate mediâ morte præuenti. Illi autem succedere debebat* RENATVS DVX BARRENSIS, *qui victus in prælio contra Burgundiones, captiuus Diuionem abductus est: quo impedimento, & ob dilatam eius liberationem, multùm retardatus est in adipiscendâ Regni possessione; vnde aduersus detentorem animo semper tumens fuit:* FILIOS *tamen suos obsides dedit, & profectus est Neapolim; vbi fauorem simul & contradictionem inuenit.* Aduerte iterùm, Lector, RENATVM à Castellano, tunc viuente, DVCEM BARRI dumtaxat nuncupatum, non etiam LOTHARINGIAE.

In Hist. ms. Ducis Philippi.

Tempus intereà promissi per Renatum connubij sensim dilabebatur. Antonius Friderici parens æquo satis animo moram sustinuit vsque ad annum M. CD. XL. quo Iolandâ iam duodecenni, ac nubili, Renatus agens Neapoli nuptias procrastinabat: ex quo indignatus Antonius (qui de cognationis lege solutionem à Pontifice obtinuerat per Guillelmum Filatre, Abbatem S. Theodorici Remensis) denuò arma sumpsit pro iure quod in Lotharingiam habebat, & Mirecurtem occupauit. *Crudeliter euastata terra Lotharingica Barrensisque* (inquit Meyerus) *sacris iuxta ac prophanis vis illata; nulli ordini, nulli ætati Valdemontius pepercit.*

Wasseb. lib. 7. folio 491. a.

Lib. 17. an. 1440.

CAPVT IV.

Fridericus VI. fuit Dux Lotharingiæ ex proprio capite, non vxoris Iolandæ Andegauensis, aduersus Anonymum.

ANNO tandem M. CD. XLIV. Nanceij Fridericus, Antonij filius, sponsam sibi copulauit Iolandam, Renati Andegauensis & Bar-

& Barrensis Ducis filiam, annos natam sexdecim; atque ita *omnis propinquitas, quæ acerbo priùs odio diuisa fuerat, mutuam rediuit in gratiam.* Wasseb. fol.494.b.

Stephanus Paschasius, eius connubij causam altiùs repetens, in hæc verba loquitur: *Isabella Lotharinga, Renati coniux; post decessum patris sui Caroli contendebat Ducatum Lotharingiæ ad se pertinere, tamquam ad filiam & heredem Ducis: è contra Antonius affirmabat* DVCATVM ILLVM ESSE FEVDVM MARIBVS ATTRIBVTVM, QVODQVE IN COLVM DELABI NON POTERAT; *seque adeò (quamuis à minori natu filio ortus esset) quia* MAS *erat, ab obtento iure illam Principem feminam excludere. Nouum belli argumentum inter Antonium & Renatum, in quo iste fortunam deteriorem est expertus: factus enim Antonij captiuus, vt liberationis suæ rationem adinueniret, consensit in matrimonium* IOLANDÆ *filiæ suæ cum* FRIDERICO *Antonij filio: quo facto vnitæ sunt maiorum minorumque natu Lotharingiæ geminæ stirpes; idque optimo consilio, ad sedanda inter partes dissidia. Renatus nihilominùs de illo connubio nusquam est oblectatus; quippe quòd ab eo vi extortum fuerat; ita vt continuò cogitaret de alis genero suo circumcidendis.* L.6. c.28.

Illius porrò odij ea causa fuerat, quòd Antonius Dux, Friderici parens, Renato *Lotharingiæ possessionem quietam nullo modo reliquisset; neque iuri suo armis prosequendo defuisset vmquam.* Cui adeò Diuinam fauisse Iustitiam palàm est, vt Renatus alieni vsurpator, exacto in vinculis sexennio, mutatoque naturæ ordine, funeribus natorum superstes fuerit, quibus contra ius fasque dominationem adscripserat. Cùm enim ratione vxoris Isabellæ nullum in Lotharingiam ius haberet, consequens est, eius filios ex parte matris ad illum Principatum nullum ius habuisse: quippe quod totum manebat penes Antonium, licet iniquè expulsum; cùm ius non amittatur non vsu, quando non datur facultas vsus. San-Mart. l.11.c.7.

Georgius Castellanus, æqualis Scriptor, refert bella & vltima quæque aduersus Renatum tentata à Duce Antonio *ratione suæ hereditatis* [pour cause de son heritage] *& quomodo ad felicem exitum litem suam perduxerit per coniugium Friderici filij sui cum Iolandâ Renati filiâ:* ita vt Fridericus in Maiorum hereditatem, quæ à Renato iniustè occupata fuerat, denuo sit ingressus. *Et verè Fridericus* (inquit Cæsar Nostradamus) *ius & causam habebat ad auorum Ducatum; quippe qui directâ lineâ ortum ducebat ab antiquis & legitimis Lotharingiæ Ducibus, quorum Ditiones à primis eius perillustris &* REGALIS DOMVS *Principibus in colum dilapsæ non fuerant, præterquam in isto Renato, qui* In MS. Historiâ. Parte 6. an.1447.

 per

per Isabellam vxorem suam, Caroli I. Ducis filiam, se declarauit, & aliquo tempore vindicauit in heredem & Dominum Ducatus.

Is ergo Principatus demum iure optimo ad Fridericum reuersus est: vnde superstite etiamnum socero, Lothariense scutum Aquilulis insigne, sine vllâ fractione, purum putum prætulit; quale conspicitur in templo S. Mauricij Andegauensis, in sacello Equitum Lunæ crescentis, ordine decimo sexto, vbi in tabella scriptum: FRIDERICVS SENATOR ORDINIS ANNO M. CD. LIV.

In eodem sacello extat etiam ordine XIII. militare scutum Renati Andegauensis, Friderici soceri, transuersè sectum: in superiori parte elucent symbola, Hungaricum, Siculum, Ierosolymitanum; in inferiori verò Andegauense, Barrense, Lotharingicum: suprà inscriptum est: PRIMVS SENATOR ANNO M. CD. XLVIII. Eadem quoque arma depicta extant in vetusto codice membraneo cum hac inscriptione: RENATVS REX HIERVSALEM ET SICILIÆ, DVX ANDEGAVENSIS ET BARRENSIS, COMES PROVINCIAE; SENATOR ANNO M. CD. XLIX. prætermisso planè Ducis Lotharingiæ titulo; cuius tamen Ducatus quadrans in vltimo scuti laterculo expressus est, ad obtenti falsò iuris qualecumque indicium: si enim de Lotharingiæ Ducatu plenè fuisset inuestitus à Cæsare Renatus, Lothariensem tesseram honoratiori collocasset laterculo, & LOTHARINGIAE DVCEM illo loco palàm se inscripsisset.

Apud Sanmarthanos.

Pergo in instituto: Post Friderici Ducis obitum *Iolandis eius vidua nullo alio vsa est titulo quàm Ducissæ Barrensis, ex Renati parentis facultate, qui viuebat adhuc in Prouinciâ.* Non igitur illius causâ Fridericus Lotharingiam possederat; quandoquidem post coniugis obitum eo titulo non est vsa.

Boullayus in Gen. Lothar.

Præterea, cùm Iolanda eadem ab excessu Friderici mariti voluisset Lothariensis Ducatus regimini se immiscere; *Proceres & Nobiles Lotharingiæ* (inquit Wasseburgius) *ex Ordinum Ducatus sententiâ decreuerunt se velle virum Principem habere, neque per feminam regi. Ideoque* RENATVS IVNIOR, *Friderici filius, Ducatum in suas manus accepit.* Ita Champerius quoque de Renato iuniore: *Vocatus fuit à Proceribus & Ordinibus, vt acciperet Ducatum Lotharingiæ. Eorum accersitu, à Ionevillâ statim venit Viselisam, Vaudemontani Comitatus oppidum. Inde perrexit Nanceium, vbi agebat Iolandis eius mater, Renati Siciliæ Regis filia, quæ publicæ rei administrationem ambiebat, volebatque dum viueret pro Ducissâ haberi; quia* (dicebat) *Ducatus ex iure matris Isabellæ, Caroli Ducis filiæ, ad ipsam pertinebat: sed per Ordines & Nobiles statutum fuit, quòd ipsi virum Principem haberent; quodque non expediebat*

Lib. 7. fol. 515. b.

Lib. 3. c. 2.

pediebat Lotharingicam ditionem (quæ extrarijs est confinis) gubernari per feminam. Sicque Ducatus Renato eius filio commissus fuit. Roserius idem affirmat paucioribus hisce verbis: *Iolandæ verò, suscepti Ducatus initio, Lotharingiæ Principes,* MVLIEBRE IMPERIVM DETRECTANTES, *quæuis sinistra machinabantur; nec cessarunt, donec Renatus filius iura capesseret.* Quod si Lothariensium testimonia non sufficiunt, audi Carolum Stephanum Franco-Gallum: *Lotharienses* IOLANDAM, *Renati matrem, ad gubernandum admittere noluerunt.* Tomo 5. cap. 86. In Histor. Lothar.

Ex quibus palàm fit, quàm à vero sit alienum, quod ab Anonymo iactatum ambitiosiùs; nempe, *antiquam Lotharingiæ consuetudinem esse, gubernationi feminarum subijci.* Nam & sequenti sæculo, post excessum Francisci I. Ducis contrarium eluxit: *Erat ei frater Nicolaus Metensis Antistes* (inquit Roserius) *inter quem & Christinam, Ducis relictam, de Caroli adhuc puerili tutelæ administratione magna contentio exoritur: Nobiles enim Nicolaum expetebant, neglecto* MVLIEBRI *imperio.* Cap. 89.

Obtrudit insuper Anonymus ex Nicolao Remigio *comparationem Feudorum in Lotharingiâ seruientium, ad Lotharingiæ dominans Feudum* : subiungitque eiusmodi argumentum : *Ad illa succedunt feminæ; ergo & ad istud.* Sed vana est consequentia : in Lotharingiâ enim minora & ordinis secundarij Feuda, ex inductâ paulatim consuetudine, & Principum tolerantiâ, redacta sunt ad instar patrimonialium: superiùs autem ac dominans non item; quòd ex antiquissimâ LEGE SALICA primùm, deinde ex STATVTO IMPERII, vltimò denique ex IVRE FAMILIARI (vt iamiam ostendemus) est masculinum. In libro de Renati gestis.

CAPVT V.

Vnio perpetua Ducatuum Lotharingiæ & Barri: vterque Principatus est masculinus ex FAMILIARI IVRE.

TESTAMENTVM RENATI DVCIS EX AVTOGRAPHO GALLICO DESCRIPTVM, ET LATINE BONA FIDE CONVERSVM.

IN NOMINE *gloriosæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, Dei vnius in essentiâ & trini in personis.* Ex Arch. Lothar.

RENATVS *Dei gratiâ Rex Ierusalem & Siciliæ, &c. Dux Lotharingiæ & Barri, &c. Marchisus Marchio Pontis, Comes Prouinciæ, Vaudemontij, Aunemaliæ, & Guisæ, omnibus præsentibus & futuris salutem.*

Notum facimus, quòd nos memores instabilitatis rerum creatarum, illiusque legis, quâ tum à Deo, tum à naturâ sancitum est, citiùs aut seriùs semel omnibus hominibus moriendum esse; idque tam incertum esse, quando

futurum sit, quàm certum est, aliquando futurum: ideò volentes de bonis, nobis à Deo concreditis, statuere, & ne morte præoccupati intestati discedamus; sanâ mente, quæ Deo sit laus, integrâque valetudine, consultò prudenterque Testamentum, vltimæ voluntatis nostræ sententiam, fecimus & conscripsimus, facimus & conscribimus hoc modo.

I. *Primò, quia Deo Creatori nostro, Diuinæque suæ bonitati placuit ad Christianæ fidei mysteria nos vocare, & sacrosanctis Baptismi aquis initiare, cuius propterea nomen benedictum sit in æternum, ex nunc in perpetuum, protestamur velle nos constantes in susceptâ fide Catholicâ permanere, & ne latum quidem vnguem ab eâ recedere. Sique vel vi morbi, vel dæmonis impulsu (cuius præcipuum studium est animas perdere) vel quauis aliâ ratione in errorem Orthodoxæ fidei contrarium pertrahemur, id nobis inuitis, & citra consensum nostrum euenturum. Atque misellam hanc animam nostram in Conditoris sui manus prompti ac lubentes reponemus, quandocumque libuerit eam de suâ mortali statione reuocare, obtestantes Diuinam suam Maiestatem, vt ob merita cruentæ Passionis, pretiosique Sanguinis effusionis Filij sui, ac Seruatoris nostri* IESV CHRISTI, *creaturam suam Beatorum Regno donare velit: simul obsecrantes sacratissimam gloriosissimamque eius Matrem, vt ad id impetrandum suum nobis patrocinium accommodet; atque Beatissimum Michaëlem, cælestis militiæ Ducem, quem præcipuo semper honore coluimus, ceterasque Angelorum Hierarchias, vt dignentur eam tueri contra communem hostem generis humani, Deoque sistere perpetuò beandam.*

II. *Item locum sepeliendo corpori nostro eligimus in æde S. Francisci Nanceij à dextro principis altaris latere murum versus, vltra chori sellas: quam ædem in fundo nostro construximus, vnà cum muris ac septis Cœnobij: volumusque corpori nostro imponi monumentum æneum planæ formæ, altitudinis non maioris quàm vt quis libellum gestans flexis genibus ei commodè inniti possit, eiusdemque monumenti laminæ superiori effigiem nostram incidi, cum epitaphio per totum circa margines exarato.*

III. *Item volumus & statuimus, vt contractum à nobis æs alienum dissoluatur, damnaque, de quibus legitimè constabit, resarciantur eâ ratione, quâ secundùm æquitatis rationisque leges teneri deprehendemur.*

IV. *Item volumus & statuimus, vt funus & exequiæ nostræ instruantur arbitrio Curatorum Testamenti nostri infrà nominatorum, vtque die sepulturæ nostræ quilibet Sacerdotes Sacrum facturi admittantur tam in ædem nostram Sancti Georgij Nanceij, vulgò dictam Prioratus nostræ Dominæ, & Sancti Apri, quàm dictorum Fratrum; atque singulis in stipendium pendantur quinque grossi in honorem quinque plagarum Seruatoris ac Redemptoris nostri* IESV CHRISTI.

Item

Item vt dictâ die fiat publica stipis erogatio quibuslibet mendicis, panis, vini atque pecuniæ. Quod si prædicta Sacra & eleëmosynæ non possint commodè fieri die sepulturæ nostræ, in sequentem diem reijciantur. V.

Item volumus & statuimus, vt tria primi ordinis Sacra funebria ad minimum celebrentur præmisso Defunctorum Officio, & primum quidem in prædictâ æde Fratrum, alia verò duo in nostrâ prædictâ æde Sancti Georgij, cuius sumus parœci; vtque prædictorum trium Sacrorum diebus quilibet Sacerdotes admittantur ad celebrandum in prædictis Ecclesijs, ac singulis quinque grossi in singula Sacra distribuantur, atque eleëmosynæ pauperibus, modo suprà præscripto. VI.

Item donamus, legamus, erogamus singulis Ecclesiarum Cathedralium Tullensis, Metensis, & Virdunensis, summam sexcentorum francorum, idque semel dumtaxat, vt statim ab obitu nostro, & deinceps quotannis, die prædicti nostri obitus, ad salutem & leuamentum animæ nostræ, nostræque charissimæ coniugis ac sponsæ, Dominæ PHILIPPAE *Geldrensis, funebre Sacrum solemniter decantent, præmisso pridie Defunctorum Officio.* VII.

Item pariter donamus & legamus Ecclesiæ nostræ & Capitulo Sancti Georgij alios sexcentos francos annuos semel; atque ita tenebuntur statim ab obitu nostro Sacrum funebre solemniter celebrare in dictâ Ecclesiâ, & singulis quaternis ieiunij temporibus in perpetuum recitare Officium mortuorum, & postridie Missam funebrem decantare ob finem suprà dictum: cuius obligationis exempla duo tradent Capitula dictarum Ecclesiarum, vt in Archiuis nostris, Nanceiano & Barrensi, asseruentur: eâ etiam lege, vt prædicta Ecclesia & Capitulum Sancti Georgij contenti sint medietate fructuum, quos recipient in Ecclesiâ prædictâ Fratrum ratione nostræ sepulturæ & exequiarum. VIII.

Item donamus & legamus Ecclesijs & Conuentibus Fratrum Minorum, & Sororum Sancti Francisci Reformatorum de Obseruantiâ, existentibus in nostris Lotharingiæ & Barri Ducatibus, locisque insertis, summam mille francorum semel; quos prædicti Curatores pro domorum & locorum inopiâ diuident, eos ad id obligantes, vt pro salute nostrâ precibus suis ac suffragijs apud Deum specialiter intercedant. IX.

Præterea volumus & statuimus, vt omnes & quæcumque fundationes, quas nos & charissima nostra coniux & sponsa anteà instituimus, obseruentur & stent in perpetuum; speciatim Sacra duo quolibet die sacelli nostri Annunciatæ, & Sanctæ Magdalenæ existentis in prædictâ nostrâ æde Sancti Georgij: versus O SALVTARIS HOSTIA, *quando sacrum* CHRISTI *corpus adorandum populo proponitur in summo Sacro dictæ Ecclesiæ: quâque Dominicâ pastelli puerorum, qui prædictum versum canunt, eâ lege, vt annis singulis recitent* AVE MARIA *ad intentionem* X.

 nostram

nostram in supplicatione victoriæ, quam Dei auxilio pridie Epiphaniæ retulimus aduersus Carolum Burgundiæ Ducem, Nanceium obsidione liberantes. Anniuersarium Sacrum cognati nostri, Ducis Nicolai, XXIV. *die Iulij; solemnitas Sancti Renati* XII. *die Nouembris, & nostrum anniuersarium Sacrum, quod modò postridie dicti Festi decantatur, & quod post mortem nostram ipso mortis nostræ die cantabitur eâ solemnitate, quâ quotidie summum Sacrum canitur in Ecclesiâ Cathedrali Tullensi, in quo speciatim nominamur: &* SALVE REGINA, *quod quolibet Sabbato canitur post Completorium à Vicarijs dictæ Ecclesiæ in sacello maiori Sancti Georgij. Item Officium Sancti Renati die ipsi sacro; & postridie Defunctorum Officium: Sacra duo quotidiana, vnum quinque plagarum* CHRISTI DOMINI, *alterum Annunciatæ, atque* SALVE REGINA, *qualibet hebdomade, eo die in quem incidet Festum Annunciatæ, cum* DE PROFVNDIS *& Collectis mortuorum: quindecim cerei, qui accendantur dum canitur* SALVE: *quod fundauimus in æde nostrâ Sancti Marci Barri. Similiter Officium Sancti Renati & Defunctorum in nostrâ æde Sanctæ Crucis Mussiponti, eo modo quo illud fundauimus in prædictâ æde nostrâ Sancti Georgij, & anniuersaria tria Sacra decantata quoque anno* XXIIII. *Februarij in Monasterio Sancti Michaëlis, quemadmodum dictæ fundationes fusiùs exponuntur & continentur in Tabulis ad id confectis; quarum exempla asseruamus in Archiuis nostris Nanceij & Barri: quas fundationes ratificamus, confirmamus, & in quantum necesse esset, denuò instauramus tenore huiusce præsentis nostri Testamenti.*

XI. *Item quia nostri prædicti* DVO DVCATVS, LOTHARINGIÆ ET BARRI, *modò sibi inserti mutuo cohærent; & quia, proptereà quòd olim in duos Dominos diuisi erant, plurima inde bella hostiliter acta, inimicitiæ, incommoda grauia, tristissimique casus contigerunt prædictis regionibus, maximo damno dictorum Ducatuum, Nobilitatis, vasallorum, indigenarum, & subditorum, maximopereque verendum est, ne si posthac disiungerentur, eadem mala rursus recurrerent; ideò quatuor nobis charissimorum ac dilectissimorum filiorum,* ANTONII *videlicet,* CLAVDII, IOANNIS, *&* LVDOVICI, *volumus vt prædicti* IOANNES *&* LVDOVICVS, *atque is quem modò prædicta nostra coniux vtero gestat, si masculus est, sequantur Ecclesiasticum ordinem in Ecclesiâ Metensi: adhæc quia præter nostros duos dictos Ducatus possidemus agros & Dominia tam in Franciâ, Normanniâ, Flandriâ, Picardiâ, Germaniâ, quàm alibi, ad abundè compensandum prædictum nostrum filium* CLAVDIVM, *his & pluribus alijs rationibus permoti, instituimus prædictum* ANTONIVM, PRIMOGENITVM NOSTRVM, HEREDEM DVORVM *prædictorum* DVCATVVM LOTHARINGIAE *&* BARRI, *cum omnibus suis pertinentijs, Ditionibus,*

nibus, & Dominijs insertis ac inclusis. Volentes & statuentes, vt solus & in solidum succedat, neque possint prædicti eius fratres in ijs quidquam petere aut mouere. Derogantes quoad hoc omni iuri atque consuetudini contrariæ regionis: quibus prædictis duobus nostris Ducatibus comprehendi volumus Marchionatum Pontensem, & Comitatum Vaudemontij.

Item volumus pariter ac statuimus, vt prædictus noster filius CLAVDIVS *succedat in id omne quod superest nostræ prædictæ Ditionis & Dominij situm tam in Franciâ quàm Normanniâ, Picardiâ, Flandriâ, & alibi; cuius eum instituimus heredem vnicum, & in solidum; sic vt eius fratres non possint pariter de eo quidquam sibi vendicare.* XII.

Quod verò attinet ad Regna nostra Siciliæ & Arragoniæ, Ducatum Andegauensem, Comitatum Prouinciæ, & Meduanæ, aliasque Ditiones ad nos pertinentes, quarum hactenus possessionem non adijmus, volumus & statuimus, vt filius noster primogenitus ANTONIVS, *eiusque liberi* MASCVLI *legitimis nuptijs nati, in ijs nobis succedant, sintque heredes nostri, neque fratres eius possint in ijsdem portionem suam petere.* XIII.

Item, si ante mortem nostram non esset prouisum prædicto filio nostro LVDOVICO *de Episcopatu, vel alio Beneficio Ecclesiastico, sex millibus florenorum annuatim æstimato; eo casu volumus vt habeat, accipiat, ipsique assignetur in portionibus prædictorum suorum fratrum* ANTONII *&* CLAVDII *summa sex millium florenorum annuorum, ex æquo à prædictis* ANTONIO *&* CLAVDIO *soluendorum, idque dumtaxat donec prædictum Beneficium consecutus sit. Quòd si Statum Ecclesiasticum sequi, vel prædictâ assignatione contentus esse nollet, velletque in prædictâ nostrâ hereditate portionem suam obtinere; tum eum constituimus heredem trium millium florenorum annuatim, ex æquo de bonis prædictorũ suorum fratrum* ANTONII *&* CLAVDII *desumendorum, idque quamdiu viuet dumtaxat.* XIV.

Quantum ad filium nostrum IOANNEM, *volumus contentus sit dicto Episcopatu Metensi, pro cuius impetratione magnos sumptus fecimus; præterea quòd prædictus Episcopatus abundè ei suppeditabit, vnde status sui splendorem tueatur: si tamen huic nostræ constitutioni ac voluntati stare nollet (quod futurum non putamus) velletque in partem hereditatis venire; volumus & statuimus, vt priùs, & ante omnia, promptè & paratè refundat prædictis* ANTONIO *&* CLAVDIO *summam sexaginta quatuor millium florenorum, qui pro prædicti Episcopatus procuratione numerati fuerunt; atque nihilominùs volumus vt contentus sit annuo censu trium millium francorum, capiendorum, colligendorum, & ei assignandorum à prædictis suis fratribus* ANTONIO *&* CLAVDIO *æqualiter: cuius summæ heredem illum instituimus ad eâ fruendum & vtendum quamdiu viuet dumtaxat.* XV.

XVI. *Et quia prædicta nostra coniux & sponsa modò grauida est, volumus & statuimus, vt si masculus est, sequatur etiam Statum Ecclesiasticum, siue sæcularem, siue regularem; atque dum ipsi prouisum fuerit de Beneficijs, quorum reditus annuus ad tria florenorum millia pertingat,* ANTONIVS *&* CLAVDIVS *ei attribuant summam trium millium florenorum annuorum, colligendam in suis Ditionibus ac portionibus hereditarijs ex æquo. Quòd si non acquiescat, velitque in hereditate nostrâ portionem suam obtinere, instituimus eum heredem summæ trium millium florenorum annuorum, ex æquo sumendæ, colligendæ atque ei assignandæ à prædictis suis fratribus* ANTONIO *&* CLAVDIO*, quamdiu viuet dumtaxat. Quòd si femella esset, volumus & statuimus, vt in matrimonio collocetur, doteque pecuniariâ instruatur pro conditionis suæ gradu; quam eius prædicti fratres* ANTONIVS *&* CLAVDIVS *de æquo suppeditabunt, vsque ad summam quinquaginta millium florenorum vt minimum; dummodò tamen ob prædictam summam filia nostra renunciet omnibus successionibus paternis & maternis: cuius quinquaginta millium florenorum summæ eam heredem instituimus.*

XVII. *Item volumus & statuimus, vt si prædictus noster primogenitus* ANTONIVS *migraret è vitâ, nullâ relictâ prole* MASCVLA *in legitimo matrimonio procreatâ; eo casu prædictus noster filius* CLAVDIVS, *ac eius liberi* MARES *ex legitimo matrimonio oriundi, eius sint successores & heredes. Et contrà, si prædictus* CLAVDIVS *decederet nullâ relictâ prole* MASCVLA *ex legitimo matrimonio; prædictus* ANTONIVS, *& eius liberi* MASCVLI *nati pariter ex legitimo matrimonio ei succedant in Ditiones & Dominia suprà nominata.*

XVIII. *Item, si prædicti* ANTONIVS *&* CLAVDIVS *decederent non relictâ prole* MASCVLA *ex legitimo matrimonio procreatâ, eo casu volumus, vt* MAIOR NATV *(ex filijs nostris superstitibus, qui non erunt sacris Ordinibus initiati, aut Religiosi professi) eiusque descendentes* MARES *ex legitimo matrimonio, ipsis in Ditiones & Dominia suprà nominata succedant.*

XIX. *Atque hoc deficiente, eiusque heredibus, filiorum nostrorum proximus, eiusque proles* MASCVLA *legitima, & modo suprà descripto, volumus, vt prædicti nostri filij, eorumque posteri* MARES *sibi inuicem succedant vi iuris* SVBSTITVTIONIS, *quam per hoc Testamentum facimus.*

XX. *Quibus institutis & substitutis deficientibus, volumus, mensque nostra est, vt prædicta nostra Ditiones & Dominia, aliaque bona redeant ad nostros heredes ac successores secundùm iura & consuetudines regionis, & locorum, in quibus Ditiones nostræ atque Dominia sita & constituta sunt.*

Item

Item quod ad nostram charissimam & dilectissimam coniugem Dominam PHILIPPAM *Geldriæ attinet, rata habemus dona & assignationes dotis, quas ei dedimus postremo quodam rescripto, sigillo nostro munito, in nostro castello de Louppy, dato* XI. *die præsentis mensis & anni, videlicet primò, Vrbem, Castrum & Præfecturam Barrensem, cum omnibus pertinentijs & appendicibus subiectis prædictæ Præfecturæ Barrensi dumtaxat.* XXI.

Item Baroniam Ionvillæ, Vrbes & Castella eiusdem, quæ continent Roumoyum, Rupem ad Matronam, Esclaron, Ia, Lignecurtem, Imbercurtem, Euruillam, Trifontium, Sorbeam, Arnevillam, cum omnibus alijs appendicibus & pertinentijs, ad ijs omnibus fruendum & vtendum quamdiu viuet, casu quo dos ei obtingat. XXII.

Item res mobiles & acquisitas, modo & normâ recipi solitâ ab omni retrò memoriâ in Ducatibus Lotharingiæ & Barri, & pro locorum conditione, in quibus bona constituta essent, die quâ ei dos obtinget; exceptis tamen antiquis pigneratitijs ad nos transmissis à nostris prædecessoribus, Ducibus & Comitibus dictorum Ducatuum. XXIII.

Item in augmentum dictæ dotis, vt conditionis suæ gradum cum splendore retinere possit quamdiu vidua manebit, nec transibit ad secundas nuptias, & non aliter, aut vltrà, Ditionem & Dominium de Sable & Celastieres, Ditiones & Dominia Condati ad Mosellam, cum pertinentijs & appendicibus earumdem duarum Ditionum & Dominiorum; vti id omne fusiùs expressum est & exaratum in prædictis tabulis, quas volumus & statuimus, vt suum plenum sortiantur effectum, non obstantibus nec aduersantibus nostris heredibus, successoribus, & ius habentibus; volumusque & statuimus, vt quamdiu vidua permanebit, regimen, tutelam, curam prædictorum nostrorum liberorum obtineat, vsque dum minores annos excesserint, cum possessione bonorum omnium constante nostro matrimonio à nobis acquisitorum. XXIV.

Item volumus, vt immunis sit ab omnibus debitis, quæ decessores nostri contraxerunt, solumque ad ea soluenda teneatur quæ nos ipsi contraximus. XXV.

Item, quia famuli & ministri nostri nobis fideliter & sedulò inseruierunt, eosque fuimus experti probos ac integræ fidei; volumus & statuimus, vt in suis muneribus retineantur quoad viuent, cum stipendijs, pensionibus, alijsque remunerationibus, quibus frui reperientur die nostri obitus; seriò mandantes, ac præcipientes prædictis nostris filijs in virtute obedientiæ, quam filij progenitoribus debent, vt eos in illis retineant, si modò nihil committant, quare legitimè illis priuari ac exui mereantur. XXVI.

Item eligimus, creamus, designamus in Curatores præsentis huius Testamenti, atque vltimæ voluntatis, prædictam nostram charissimam & dile- XXVII.

ctissimam coniugem & sponsam, atque primogenitum nostrum filium ANTONIVM, *charissimosque nostros ac fideles Consiliarios,* VARINVM DOMP-MARTINVM, *Episcopum & Comitem Virdunensem,* D D. HVGONEM DES HAZARDES, *electum Tullensem, &* HARDY TILLON, *Aulæ nostræ Præfectum: quorum arbitrio omnia nostra bona, reditus fructusque annuos permittimus, ad perficiendum ac executioni mandandum quidquid in illo præscribitur.*

XXVIII. *Quod præsens nostrum Testamentum, tamquam vltimæ voluntatis nostræ decretum, volumus ratum sit, suumque sortiatur plenum effectum: atque si irritum est in ratione Testamenti solemnis, saltem ratum maneat integrumque in ratione Testamenti nuncupatiui, vel nudæ & simplicis dispositionis, aut codicilli, vel donationis causâ mortis, vel partitionis bonorum inter prædictos nostros filios, eorumque descendentes; neque volumus quodlibet aliud à nobis antehac confectum Testamentum aut dispositio locum habeat, suumque sortiatur effectum; eaque reuocamus, rescindimus, abrogamus. Protestantes nihilominùs retinere nos potestatem addendi, demendi prædicto Testamento, imò totum innouandi, quandocumque nobis libuerit vsque ad obitum nostrum.*

XXIX. *In quorum omnium & singulorum supradictorum fidem, atque ad maiorem securitatem eorum & firmitatem, volumus & statuimus, vt præsentis huius Testamenti tabulæ, quas duplicauimus, legantur & promulgentur à morte nostrâ in Curiâ forensi ciuitatis nostræ Nanceianæ coram Balliuis ac Nobilibus illic congregatis; atque in Curiâ Sancti Michaëlis coram Balliuo loci, & Assessoribus Forenses conuentus agentibus; in Curiâ Officialis Tullensis, sedentis in suo tribunali ad audiendas & decidendas controuersias dictæ Curiæ; à quibus petimus & postulamus, vt velint apponere & appendere sigillum dictæ Curiæ, vnà cum nostro, huic præsenti nostro Testamento, quod chirographo nostro firmauimus, fecimus, transegimus in nostro castro de Louppy anno à Christo nato millesimo quingentesimo sexto,* Anno 1506. XXV. *die Maij.*

Hactenus supremæ tabulæ Ducis Renati, in quibus habes vnionem perpetuam atque substitutionem masculinam Ducatuum Lotharingiæ & Barri, Articulis XI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Sed præterea sciri necesse est, à Renati Ducis excessu, Philippam Ducissam eius viduam amborum Ducatuum ternos Ordines conuocasse, qui congregati XIII. Februarij anni M. D. VIII. solemni sacramento se obstrinxerunt ad vnionis & masculinæ substitutionis strictam obseruationem; decernentes vtramque in posterum fore vtriusque Status columen & fundamentum.

Id porrò consilij maximè sumpserat Dux Renatus ob exortas publicæ

publicæ rei perturbationes, post obitum Caroli I. Lotharingiæ Ducis, inter Antonium Vaudemontanum & Renatum Andegauensem: quod ne futuris accideret temporibus, Dux Renatus, Salicæ legis decreto iuribusque Imperij domestica accumulando, prohibere voluit per vtriusque Ducatus perpetuam iunctionem, & substitutionem masculinam Principum qui à se propagarentur, quorum in hanc vsque diem hæc est series.

Stemma posterorum Renati Ducis Lotharingiæ & Barri, Vnionis atque Substitutionis auctoris.

5. RENATVS Dux Lotharingiæ & Barri.

6. ANTONIVS II. Dux Lotharingiæ & Barri. — 6. CLAVDIVS Dux Guisiæ, Caput Ducum Guisiæ, Meduanæ, Aumaliæ, Cheurosij, Ellebouij.

7. FRANCISCVS I. Dux Lotharingiæ & Barri. — 7. NICOLAVS Dux Mercurij, Comes Vaudanimontis.

8. CAROLVS II. Dux Lotharingiæ & Barri. — 8. CAROLVS Comes de Chaligny, pater Henrici Marchionis de Moüy, & Francisci Episcopi Virdunensis.

9. HENRICVS Dux Lotharingiæ & Barri: obiit absque masculâ prole. — 9. FRANCISCVS II. Dux Lotharingiæ & Barri.

10. CAROLVS III. Dux Lotharingiæ & Barri. — 10. Dux NICOLAVS-FRANCISCVS.

11. FERDINANDVS-PHILIPPVS. — 11. CAROLVS-NICOLAVS.

His addere iuuat sententiam Equitis Didaci Saauedræ Faxardi, τοῦ Μακαρίτου, qui doctè censuit, *successionem feminarum ad Regna magna esse magnis Principibus vtilitatis; quia sæpè per matrimonia eorum familiis accedunt magni Status; vt contigit Castellanæ & Austriacæ. At verò in minoribus Principatibus non ita; quia dum heredes feminæ Regibus copulantur, perit familiæ nomen ac supremum decus; quia minor ditio à maiori absorbetur.* Emblemate 70. edit. Mediolan.

CAPVT VI.

Contestata denunciatio Claudij Guisiæ Ducis pro Testamenti Renati Ducis obseruatione.

Ex Archiuo Ducum Guisiæ. An. 1540.

HODIERNA *die, Augusti* XIX. *anni* M.DXL. *in castro Barri-Ducis, præcelsus & præpotens Princeps* CLAVDIVS A LOTHARINGIA, *Dux Guisiæ, Par Franciæ, Comes Aumaliæ, Baro Meduanæ & Ionuillæ, Senescallus Campaniæ, Locum tenens Generalis pro Rege in Burgundiâ, Campaniâ, & Briâ, in præsentiâ nostrâ, Petri Blandin, & Ioannis Baudesson, Notariorum Regiorum in Bailliuatu Vitriacensi hîc subscriptorum, Præcelso & Illustr*^mo *Principi* ANTONIO DVCI LOTHARINGIÆ ET BARRI *fratri suo, cùm egrederetur è cubiculo, vt iret ad Sacrum audiendum iuxta Ecclesiam dicti castri, dixit & pronunciauit isthæc verba:* Domine, mihi dictum est, quòd per tractatum matrimonialem, quem facitis pro ANNA filiâ vestrâ, vos illam reuocatis ad successionem vestram, defectu masculorum: id quod non potestis facere, quia dicto casu scitis titulos Regnorum Siciliæ & Aragoniæ, Ducatum Andegauensem, Ducatus Lotharingiæ & Barri, Comitatum Prouinciæ, & alias terras, non posse reuerti, nec deuolui in dictam ANNAM, aut eius heredes, sed in ME, & HEREDES MEOS MASCVLOS, eo modo quo cautum est & continetur Testamento defuncti Regis PARENTIS NOSTRI; cuius Deus misereatur: quod Testamentum per vos, Domine, & per ME confirmatum fuit, & pro rato habitum. Quocirca VOBIS declaro, ME nullo modo consentire dicto pacto matrimoniali, MEque protestari, quòd nec mihi nec meis heredibus vllo modo possit præiudicare, quibus ius in dicto casu est acquisitum. *Subiecit deinde statim:* Domine, auditis quod vobis dico. *Qui Dominus* DVX LOTHARINGIAE *nos respiciens Notarios suprà nominatos, & annuens capite, dixit & respondit:* Ita, ego vos benè intellexi. *Et inde simul ingressi sunt Ecclesiam vt Missam audirent. A nobis autem petijt & requisiuit Dominus* DVX GVISIAE *actum & instrumentum dictæ suæ declarationis & protestationis, quod ipsi dedimus, vt eo vti posset tempore & loco secundùm ius & rationem. In cuius rei testimonium ego Theobaldus Lortrad Scutifer, custos sigillorum pro contractibus Præpositura Vitriacensis, relationem dictorum Notariorum sigillis eorum & chirographis munitam firmauimus sigillo dictæ Præpositura Vitriacensis. Actum & datum die & anno supradictis. Subscriptum* Blandin & Baudesson, *cum sigillo appendente in cerâ viridi.*

Anna

Anna illa, Antonij II. Lotharingiæ Ducis filia, primis nuptiis iuncta fuit Renato Nassouio Gabilonensi, Auraicæ Principi; secundis autem Philippo Croyo Duci Arschotano; qui eam duxit anno M. D. XLIX. suscepitque ex illâ vnicum filium Carolum Philippum Croyum, primum Haurechi Marchionem. Pontus Heuterus in Geneal. Croyacâ.

CAPVT VII.

Charta Transactionis, quâ constat Antonium II. Ducem, Renati parentis vltimam voluntatem Testamento confirmasse.

NICOLAVS A LOTHARINGIA, *Dei gratiâ Administrator perpetuus Episcopatuum Metensis & Virdunensis, Abbas commendatarius Mediani Monasterij*, &c. *vniuersis præsentibus & futuris salutem. Charissimus noster Dominus & parens felicissimæ recordationis, cuius animæ Deus misereatur, ex Testamento & supremâ voluntate heredem sibi ex asse instituit charissimum nostrum Dominum & fratrem* FRANCISCVM A LOTHARINGIA, *eâdem gratiâ hodiernum Ducem Calabriæ, Lotharingiæ, Barri, & Geldriæ, Marchisum, Pontis Marchionem, Comitem Prouinciæ, Vaudanimontis, Albimontis, Zutphaniæ*, &c. *in vniuersis suis Ditionibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Baroniis, & ceteris quibuscumq; bonis, terris & Dominiis, vbicumque locorum sitis, & constitutis, atque ab eodem obtentis, & possessis, siue per rectam, paternam maternámve, seu per transuersam stirpem ad eum deuolutis, vnà cum omni iure tam hereditatis quàm successionis transuersariæ, quæ ei poterant obuenire, imò & acquiri, sine vllâ exceptione aut reseruatione. Nobis verò constituit, legauit, donauitque dumtaxat ex eisdem tabulis pro iure hereditatis, & legitimæ ex omnibus suis bonis, tamquam filio competentis, quatuor & viginti francorum millia Lotharingicæ monetæ census annui & vitalitij, duabus æquis pensionibus pernumeranda; nempe in Natalitiis Christi Domini, & Beati Ioannis Baptistæ. At verò vbi dictum Testamentum resignarunt dilectissimi Domini nostri ac patrui* IOANNES, *miseratione diuinâ Sacræ Rom. Eccl. Cardinalis Sancti Honufrij, vulgò dictus à Lotharingiâ, Archiepiscopus ac Primas Narbonensis, Episcopus Albigensis, Nannetensis, & Aginnensis, Abbas commendatarius Cluniacensis, Fescaniensis, Maioris Monasterij, Sancti Audoeni*, &c. *atque vnà* CLAVDIVS A LOTHARINGIA, *eâdem gratiâ Dux Guisiæ, Pár Franciæ, Marchio Meduanensis, Comes Aumaliæ*, &c. *coram nobis & dicto fratre nostro, haudquaquam ei assentiri potuimus; vtpote qui grauiorem omnino, quàm vt ferri posset, iniuriam & detrimentum in hereditatis & successionis iure ex tot* Ex Arch. Lothar.

tamque præclaris Principatibus & Dominiis ab eo relictis patiebamur. Nihilominùs intuitu amoris, quò à naturâ ipsâ ferimur, & quoad licebit feremur in dictum Dominum & fratrem nostrum primogenitum FRANCISCVM, &c. *quoniam insuper æs alienum, obligationes & hypothecæ, quas defunctus parens noster contraxit, immensæ sunt, & propemodum eidem intolerabiles;tum verò de suasu & consilio dictorum Dominorum ac patruorum nostrorum,qui concordiæ inter nos fratres conciliandæ intercessores & arbitros sese exhibuerunt,nec non ex aliorum virorum sapientum & doctorum, quos consuluimus, sententiâ, ad maius nostrum commodum, liberè & spontaneè certiores de rei totius momentis facti,& bonâ naturalique voluntate non inducti, vel seducti, consensimus, probauimus, ratum habuimus,& esse iussimus;consentimus,probamus,ratum habemus,& esse iubemus his litteris dictum Testamentum,& postremam defuncti Domini ac patris nostri voluntatem, in singulis eius capitibus, substantiâ, articulis; eâ lege & conditione,quòd dictus Dominus ac frater noster* FRANCISCVS, *ex pactis inter nos conuentis,in supplementum & augmentum, perfectionemque legitimæ nostræ, consensit nobis & heredibus nostris constitui censum annuum, qui conditionem & naturam hereditatis obtinebit, à nobis & heredibus nostris percipiendum ex prouentibus & fructibus Ducatus Barrensis per manus Quæstoris eiusdem generalis præsentis, & deinceps futuri; insuper eiusdem supplementi iustæ legitimæ gratiâ nobis cessit, & addixit hereditariè ac in perpetuum ius, & actionem omnem, quam sibi vindicabat in Baroniâ, agris, ac Dominio Mercurij in Aruerniâ, nec non in eiusdem Oppidis, Castris, Arcibus, Oppidulis, pagis, feudis, hominijs, censibus, & prouentibus quibuscumque, eorumque appendicibus; omne denique ius dimidiatum quod habet ex integro illo Dominio ad vtrumque nostrum deuoluto per mortem felicis memoriæ charissimæ Dominæ matris nostræ* RENATAE *Borboniæ*, &c. *quam medietatem in manus nostras à se abdicauit. Quæ supplementa & accretiones cùm ita se habeant, vt ijs nobis abundè satisfactum,atque de compensatione & hereditatis portione cautum sit: & aliàs,vti dictum est, perspecta habeamus nomina & obligationes,quibus præfatus frater noster supra quàm propemodum ferendum sit,grauetur. Tum etiam vt* VNIO DVCATVVM LOTHARINGIAE ET BARRI, *Marchionatus Pontis, Comitatuum Vaudanimontis, Albimontis, aliarumque Terrarum in iis contentarum (quam* VNIONEM *optauit & inchoauit charissimus Dominus & auus noster* DVX RENATVS, *Rex Siciliæ; cui Deus sit propitius; deinceps verò prosecutus est, & perpendit præfatus Dominus* DVX ANTONIVS *parens noster in suo Testamento, vtpote quæ plurimùm vergit in ampliationem & decus Domus Lotharingiæ, ex quâ prognati sumus, quamque adeò optamus omnibus*

nibus

nibus votis florere, augeri, & nullatenus imminui) inuiolata conseruetur, quoad in nobis erit, iuxta TESTAMENTI *præfati & vltimæ voluntatis præscriptum; de liberâ & naturali voluntate nostrâ cessimus, & vi harum litterarum cedimus tam specialiter quàm generaliter* OMNI IVRI *hereditatis, successionis, & acquisitionis, quà per seriem generis rectam, quantumuis antiquam, quà per transuersam deuoluto, in gratiam dicti Domini ac fratris nostri, eiusque heredum, ac eorum quos eius res quouis nomine continget; omnibus Principatibus, Ducatibus, Ditionibus, Terris, Dominijs, alijsque quibuslibet bonis, quæ ad nos pertinere possunt, aut debent, potuerunt, aut debuerunt per defunctos parentes, vel eorum progenitores, aut prædecessores, cognatósve, quocumque modo aut causâ. Iuramus, ac pollicemur per eam fidem quâ Deo obstricti sumus, ac per eam quæ Principem decet; nostro nomine, heredumque nostrorum, ac eorum ad quos res nostra quouis iure pertinebit, numquam in ijs ius vllum vendicaturos, vel asserturos, siue ea mobilia sint, siue immobilia, obligationésve, aut hypothecæ; præterquam censum supradictum quatuor & viginti millium francorum, vnà cum præfato Mercurij Dominio ac Baroniâ. Quibus duabus partibus, pro omni iure nostro, heredumque nostrorum, atque eorum ad quos quouis nomine res nostra pertinebit, contenti sumus, & per has litteras contentos nos esse profitemur: tamquam quibus condignè satisfactum sit. Atque ita se rem habere declaramus, & assentimur, testamurque, prorsus vt neque nobis, neque heredibus nostris, aut ijs quos res nostra quouis iure continget, vmquam liceat quacumque de causâ refragari, vel lite contestari: siue per exceptionem deceptionis, vel illati supra medietatis pretium damni, siue quo alio titulo: neque ex argumento legis, quâ sancitur, generalem cessionem vim non sortiri, nisi præcedat specialis: cui nos renunciauimus, ac renunciamus, vti & quibuscumque iuribus scriptis, & non scriptis, nec non & consuetudinibus contrarijs, & huic nostræ assensioni refragantibus: tametsi de iure eiusmodi renunciatio nobis interdicta sit; eam tamen volumus nobis heredibusque nostris, ijsque omnibus ad quos res nostra pertinebit, validam esse. Et si quando diceretur nobis malè, & minùs æquè de hereditatis portione prouisum esse; idque heredes nostri contenderent; volumus nos tum in iudicio, tum extra, cadere causâ; donantes irreuocabiliter harum litterarum vi nostro fratri prænominato liberaliter & liberè quidquid supra hereditatis nostræ portionem præfatam ad nos pertinere videbitur, siue ingratitudinis causâ, siue quo alio titulo. Cuius donationis traditionem eidem per præsentes facimus. Cautum etiam esse volumus, ne quando heredibus nostris, aut ijs quos quomodolibet res nostra continget, commodare possit in futurum, asserere, vel proponere, quod hoc pactum conuentum, vel transactio bonis moribus*

aduer-

aduersetur, vel iuri naturali, aut gentium, scripto vel non scripto: & iurati pollicemur, per Fidem quâ Deo obligamur, eo nos numquam vsuros esse, vel alio quouis modo, exceptione, vel subsidio vllo, quo impediri hoc pactum, atque transactio, eiúsve effectus possit. Cuius iurisiurandi gratiam à nobis abdicamus, omnemque in integrum restitutionem, quæ à quolibet Principe impetrari à nobis aut heredibus nostris ijsve posset, quos res nostra quouis nomine continget; nosque & illos cuiusuis Principis potestati submittimus, siue Papæ, siue Imperatoris, Regúmve, aut aliorum quorumlibet, quos fratri nostro, eiusque heredibus libebit assumere, vt ij, vel eorum quilibet nos & heredes nostros cogant ad perficiendum sine contradicto ea quæ his litteris continentur: perinde ac si lege latâ, aut supremi Iudicis sententiâ pronuntiatum foret. In eum finem, & harum litterarum executionem, omnia & singula bona præsentia, & futura nostra, heredúmque nostrorum, & eorum ad quos res quouis modo nostra pertinebit, vbicumque locorum existunt, aut existent deinceps, obligamus. Eâ tamen lege, vt stirpe nostrâ deficiente, dicta Baronia Mercurij, & viginti quatuor millium francorum census continuò & directè ad fratrem nostrum, heredésve illius ab eo progenitos, reuertetur sine diuisione. Et vicissim, si (quòd Deus auertat) dicti fratris heredes nobis superstitibus deficerent, nobis nostrísve heredibus pro portione nostrâ constabit ius succedendi in dicti fratris nostri hereditatem citra vllam difficultatem. In cuius rei fidem, & vt hæ litteræ firmæ, stabiles atque inuiolatæ permaneant, & citra vllam prouocationem, chirographo, ac sigillo nostro eas muniuimus; atque maioris auctoritatis & certitudinis gratiâ rogatos voluimus dictos Dominos PATRVOS NOSTROS, *Cardinalem à Lotharingiâ, & Ducem Guisiæ, vt sua etiam illi chirographa ac sigilla gentilitijs tesseris insignita apponere dignarentur. Quod nos Cardinalis & Dux*
Anno *Guisiæ his precibus ac supplicationibus permoti præstitimus anno Domi-*
1545. *ni millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, die decimâ Aprilis, præsentibus charissimo cognato* CAROLO A LOTHARINGIA, *miseratione diuinâ Archiepiscopo, & Duce Rhemensi, primo Franciæ Pari; Reuerendo Patre in Christo* TOSSANO *de Hocedy Episcopo, & Comite Tullensi, Sacri Imperij Principe, Abbate commendatario Hunnecurtensi,* &c. *cognato nostro* IOANNE *Comite Salmensi, Lotharingiæ & Barri Marescalco; Domino* IOANNE *de Hassonville, Lotharingiæ Senescallo, & Episcopatus Metensis Balliuo; Reuerendo Patre in Christo Domino* PETRO *du Chastellet, Abbate commendatario Sancti Martini iuxta Metas; Domino* FRANCISCO *de Bassompierre, Balliuo Vogensi; Domino* PHILIPPO *de Fresnay eius loci Toparchâ; Magistro Nicolao Mengin, rationum Lotharingiæ Præside; & Dominico Campano Iuris Doctore, Generali Lotharingiæ*

ringiæ Procuratore. Subſcriptum, IOANNES *Cardinalis Lotharingiæ*; & CLAVDIVS A LOTHARINGIA; & ſignatum maioribus dictorum Cardinalis & Ducis Guiſiæ ſigillis, eorum gentilitiâ teſſerâ inſignitis, ceræ rubræ impreſſis, duplicique funiculo intextis.

Hoc inſtrumentum præcedenti adieci, vt omnibus pateat, quàm iniquè Anonymus ſcripſerit ſuſpectas eſſe falſitatis ſupremas Renati tabulas, quas hîc elucet ab eius filio, Antonio II. Duce, Teſtamento ratas & confirmatas fuiſſe.

CAPVT VIII. ET VLTIMVM.

CAROLVS III. *Dux Lotharingiæ & Barri, iure perquàm optimo Ducatus vtriuſque poſſeſſionem adiuit. Reſpondetur contrarijs Gramondi propoſitionibus.*

FRANCISCO I. Duci, Antonij II. Ducis filio, è viuis ſublato anno M. D. XLV. ſucceſſit in vtroque Ducatu filius eius vnicus CAROLVS II. iſti deinde extincto anno M. DC. VIII. filius eius natu maior HENRICVS; qui cùm diem obijſſet anno M. DC. XXIV. maſculâ prole non relictâ, FRANCISCVS Vaudanimontis Comes, eius frater, lege patriâ, Imperiali & domeſticâ fultus, Dux Lotharingiæ & Barri publicè fuit inauguratus. Is deinde CAROLO III. natu maiori filio ambos Ducatus dedit, & in eius fauorem omni ſuo iuri ceſſit, litteris ſuper eâ re confectis, datis Nanceij die Mercurij circa horam octauam matutinam, vigeſimâ ſextâ Nouembris, anno à Christo nato milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, coram Proceribus & Ordinibus Ducatuum Lotharingiæ & Barri, ad Comitia generalia eâ de causâ conuocatis. Illiuſque vigore denuntiationis, nouus DVX CAROLVS III. primâ die Martij anni M. DC. XXVI. ſolenni pompâ Nanceium Lotharingiæ primariam vrbem eſt ingreſſus, ſuæque hereditatis magno nobilitatis comitatu poſſeſſionem adiuit. Sequenti verò die Ordines congregati eumdem CAROLVM III. Ducem, ex proprio capite, pro ſuo naturali ac legitimo Principe agnouerunt, Domino de Chamblé Haraucurtio, Bailliuo Nanceiano, nomine Caroli Ducis ad illos perorante. Vt mirum ſit, Gabrielem Bartholomæum Gramondum, Tholoſatium Præſidem, hac in parte nodum in ſcirpo quæſiuiſſe, atque aduerſus eiuſmodi acta adeò ſolemnia ſub alieno nomine argu-

Anno 1625.

Lib. 15. p. 649. & ſeq.

menta

menta proposuisse, quæ, ne quid intactum relinquam, subijcienda duxi cum meis ad singula responsis.

Primum est: *Non ante hanc diem legem Salicam inualuisse apud Lotharingos.* Latæ sunt Salicæ leges à Francis Ortiuis, qui posteà *Lothariensès* dicti sunt. Otho Frisingensis in Bauariâ Episcopus (qui monasticæ quietis amans, senex vixit Morimundi, in Bassigneio, fines Lotharingiæ Superioris & Burgundiæ Comitatus attingente; vbi & obijt anno M. C. LIX.) Lotharingos Principes vocat *Francorum nobilissimos, & SALICOS, qui eius ætate LEGE SALICA adhuc vtebantur.* De Luxemburgensibus, qui Mosellanicis sunt finitimi in antiquo Lotharingiæ Regno, Epternacenses Cœnobitæ in epistolâ ad Henricum sextum Imperatorem anno M. C. XCI. scriptâ sic loquuntur: *Illud summatim vestræ Celsitudini significari dignum duximus, de Lutzelburgensi Comitatu, qui sint, & quàm nobiles, vtpote SALICÆ CONDITIONIS ET LIBERTATIS ex parte homines, qui hominium debent ad eumdem Comitatum de Beneficijs, Dominatibus, & hereditario iure DE REGNO attingentibus,* &c. Insuper ex Boullayo, Antonius Vaudemontanus, ante annos ducentos, contra Isabellam patruelem suam affirmauit, *non posse* FILIAS LEGE SALICA *Ducatus Lotharingiæ hereditatem nancisci:* ex Belleforestio, *Ducatum Lotharingiæ* SALICVM ESSE, *nec debere ad feminam deuolui:* ex Bouchelio, *Ducatum illum esse* DE TERRA SALICA, *nec idcircò posse ad feminas transscribi.* Non igitur hoc nostro tantùm sæculo apud Lotharingos inualuit Salica lex.

Miræus de Script. Eccles.

L.4.c.32. Vide Vind. Hisp.c.5. p.40.

In Geneal. Lothar.

Tomo 2. l.2.c.91. 99.

Tomo 3. p.438.

II. *Malè pro lege Salicâ accipi Renati Ducis voluntatem, qui Testamento cauerat, vt* MASCVLI *in infinitum succederent: Differre legem Salicam à priuatâ hominis voluntate.* Nemo, quod sciam, voluntatem Renati Ducis pro lege Salicâ accepit, sed pro hereditariâ substitutione; nec ipse Testamenti conditor vocabulo Salicæ legis vllibi vsus est, sed *substitutionis.*

Art. 19.

III. *Non posse Principes de successione Principatus decernere, legemque statuere vsui contrariam, aut priuilegijs Feudi, quæ in omne æuum sit valitura.* Non statuit legem Renatus vsui contrariam, aut Lotharingiæ priuilegijs: quin imò antiquissimam Imperij consuetudinem secutus est, quam Renatus Andegauensis proprio commodo abrogare tentarat. Illud autem eò iustiùs validiusque, & sine cuiusquam præiudicio, pro suis posteris statuere poterat Dux Renatus, quòd ipse solus è Lotharingicâ gente superesset; adeoque vniuersa Lotharicæ Domus iura masculina, & feminina etiam, si quæ essent, ex proprio capite vnita possideret; quodque præterea ditionem suam à Carolo Burgun-

Burgundiæ Duce occupatam vi armatâ recepisset; sibique soli virtute propriâ quæsiuisset, quo iure ipse tandem vellet ad posteros transmittendam.

IV. *Lotharingiæ Ducatum esse Feudum ab Imperatoribus concessum nulla masculinitatis mentione.* Contrarium ostendi ex Sigeberto Lotharingo, & ex Auctore Magni Chronici Belgici, apud quos, FRIDERICO II. *Mosellanorum Duce mortuo,* QVIA MARES FILIOS NON HABEBAT, *quibus Ducatus competeret*, CONRADVS II. *Imperator eius Ducatum contulit Gotheloni, exclusis Beatrice & Sophiâ, Friderici II. Ducis filiabus.* Ad an. 1034.

V. *Si valuisset lex Salica, redire debuisset Ducatus Lotharingiæ ad Imperatorem, tamquam ad primum Dominum.* Antiquis temporibus id fiebat; non quidem Salico iure, sed Imperiali, dum Lotharingiæ Ducatus nondum esset hereditarius. Neque id factum amplius post Gerardum Ducem, Theodorici Strenui Ducis parentem, qui primus Ducatum iure hereditatis transmisit ad posteros tam directâ lineâ quàm laterali: vnde est, quòd Simoni II. Duci absque liberis defuncto anno M. CC. VII. successit Fridericus III. eius nepos ex fratre Friderico Comite de Bitsche. Rursum anno M. CC. XX. cùm Theobaldus I. Dux improlis excessisset, Matthæus II. eius frater sine controuersiâ Ducatum adeptus est. Præterea in Transactione Norimbergicâ inter Ferdinandum I. Romanorum Regem, & Antonium II. Lotharingiæ Ducem, initâ anno M. D. XLII. hæc inter alia sanxit Rex Ferdinandus: DVCATVS LOTHARINGIÆ, *cum suis appertinentijs*, LIBER, & NON INCORPORABILIS DVCATVS *erit, & manebit semper: & à Cæsareâ Maiestate, Nobis, & Electoribus, Principibus, atque Statibus Imperij, pro* LIBERO, & NON INCORPORABILI DVCATV, *Superioritate & Principatu recognoscetur, nominabitur, & habebitur.* Principum Imperij vacuæ hereditates ordinario caduci iure ad Imperatorem tamquam ad supremum Dominum deuoluuntur, rursùmque incorporantur Imperio, à quo primitus emanarunt, in aliam familiam, si lubet, transferendæ. At Norimbergicâ pactione Duci Lotharingiæ indultum est, *vt eius Ducatus esset membrum Imperij liberum, Imperio numquam incorporabile*; hoc est, vt perpetuò transiret ad heredes: ita vt ab eius sanguinis stipite non recederet: nec è viuis excedente sine masculis Duce, caducum ius locum haberet, sed ad eiusdem stirpis & agnominis proximiorem masculum Ducatus pleno iure deferretur, fide Imperatori & Imperio semper seruatâ; vt fecêre hactenus Lotharingiæ Duces, & præ alijs Serenissimus CAROLVS Dux modernus;

Arbore 2. Lothar. cui R. P. Ioannes Gans de Societate IESV, Imperatoris Confeſſarius, in Arboreto Auſtriaco, hoc breue quidem, ſed honorificum meritò tribuit elogium: *Qui Lotharingicam Domum, fidelitate erga Ferdinandum Cæſarem celeberrimus, martiè ſuſtentat.*

VI. & vltimò, *Accedere debuiſſe conſenſum Imperatoris pro Lotharingiâ, & Chriſtianiſſimi Regis pro Ducatu Barrenſi; quorum cauſa, vt ſupremi Domini ſunt, præcipuè agebatur.* Pro Lotharingiæ Ducatu non erat neceſſarius Imperatoris conſenſus, quandoquidem contra Imperij legem non peccabatur; imò eius præſcriptum ſanctioque ad amuſſim obſeruabatur. Idem dico de Ducatu Barrenſi, qui merè eſt Imperialis, vt aliquando, ſi Deus vitam indulſerit, perſpicuè oſtendam.

FINIS.



INDEX

INDEX CAPITVM.

CAPVT I. Lotharingiæ Superioris Ducatus ex lege Imperij ad feminas non deuoluitur. Pag. 3.
CAPVT II. Prius Anonymi argumentum ab Idâ desumptum, contra Lotharingiæ masculinitatem, dissoluitur. 6.
CAPVT III. Respondetur alteri Anonymi argumento, de Isabellâ Caroli primi Ducis filiâ. 9.
CAPVT IV. Fridericus VI. fuit Dux Lotharingiæ ex proprio capite, non vxoris Iolandæ Andegauensis, aduersus Anonymum. 16.
CAPVT V. Vnio perpetua Ducatuum Lotharingiæ & Barri: vterque Principatus est masculinus ex FAMILIARI IVRE. 19.
CAPVT VI. Contestata denunciatio Claudij Guisiæ Ducis pro Testamenti Renati Ducis obseruatione. 28.
CAPVT VII. Charta Transactionis, quâ constat Antonium II. Ducem, Renati parentis vltimam voluntatem Testamento confirmasse. 29.
CAPVT VIII. CAROLVS III. Dux Lotharingiæ & Barri, iure perquàm optimo Ducatus vtriusque possessionem adiuit. Respondetur contrarijs Gramondi propositionibus. 33.

Clarissimi, doctissimique viri, D. Antonij de Fuertes & Biota, I. V. D. Hispani, Regis Consiliarij & Quæstoris Mediolanensis,

IVDICIVM.



VIDE *legi, ac penitiùs excussi Opusculum, cui titulus,* LOTHARINGIA MASCVLINA, *Auctore Nobiliss. Equite D. Ioanne Iacobo Chifletio, Regio Archiatrorum Comite. Quo quidem in argumento ita versatus est solertissimus Scriptor, vt, quod in eruditione palmarium est, multa eaq; maxima paucis complexus fuerit singulari methodo ac stylo. Leges siquidem cum Legibus frustrà sæpè componimus; sicq; interdum multa agendo nihil agimus: sed membranas schedasq; cùm veteres, tum nouas in comperto habere, Principum Genealogias recto tramite ducere, in Chronologiam non peccare, Topographiam nosse, id vnum, si quid aliud, politicis studijs, meâ quidem sententiâ, apprimè vtile est; in quo Jureconsulti aut ferè ieiuni, aut vt plurimum hallucinantes. Vnde æui nostri aduersissimis temporibus vel hoc nomine gratulandum puto, quòd eiusmodi præclaris scriptionibus occasionem præbuerint; optoq; ac voueo quàm plurimos esse, qui semitam eamdem cum doctissimo viro ingressi, eius vestigijs inhæreant, versenturq; in paris industriæ curriculo, non sine ingenij atque eruditionis laude. Ita censui, dum tot aliorum in publicam perniciem scripturientium me tædet, pigetq;. Bruxellæ* VIII. *die Nouemb. anni Christiani* M. DC. XLVIII.